







25. II.

Nf. 97.

c.

Honoratus deo in dñm. Laudis sufficiens Disputatione  
cum saligen Griesbach.

1. De historiae ecclesiasticae nostri seculi usibus  
sapienter accommodatae utilitate
2. und 3. de vera notione vocabuli πνευμα Röm. 8.  
comentatio prima et altera.
4. Comentatio in Ephes. 1, 19. seq.
5. Comentatio ad locum Pauli I Corinth. 12, 1. — 11.
6. und 7. Comentatio de Λογιῳ προφητικῳ βεβαιοτησ  
2. Petr. 1, 16. — 21. pars priora et altera.
8. Comentatio de spiritu Dei quo abluti sanctificati et  
justificati dicuntur Corinthii
9. 10. 11. und 12. Structurarum in locum de theopneustia  
librorum factorum particula prima, secunda, tercia et quarta.  
13. id est 5ta und 7a pars quilibet ipsa da, nuber No. 23. abas dñis  
dñsque dñs Quibundus ~~etiam~~ ~~etiam~~ sacerdotis galendae.
13. und 14. Comentationis de imaginibus iudeis, quibus  
auctor epistolae ad Ebraeos in describenda Mesiae  
provincia usus est particula prior et posterior
15. de fide historica ex ipso rerum quae narrantur  
natura judicanda.
16. brevis illustratio epistolae Danielis episcopi  
Vintoniensis ad Bonifacium Griesbachum non habet auto-  
rem; sed titulo teste Bambachium Griesb. conpres in Philosophia  
sumos gratulantes. J. Casenritber. 1818.

17. *Dissertatio historico theologica locos theologicos collectos ex Leone magno Pontifice Romano sistens*
18. *Dissertatio critica de codicibus qualuor evangeliorum Origenianis pars prima. N. pars altera non prodit*
19. *Quid Ebr. 3,7. — 4,11. XATA HABEWOS Deo imagines adumbrebetur disqueritur*
20. *Locorum novi Testamenti ad ascensum Christi in coelum spectantium sylloge*
21. *nexus inter virtutem et religionem paucis illustrat.*
22. *inquiritur in fontes unde Evangelistae suas de resurrectione Domini narrationes hauserint*
23. *Scripturarum in locum de theopneustia librorum sacrorum particula quinta et ultima. sive obv. 11. q. 12.*
24. *Marti Evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decuplum esse monstratur.*
- Hoc deusus dibylatione soll auf Meßalt geleget. Adalpfaed was fortselfzwey 1790 wissauer, und die ganze dibylatione in Wallfussab und Rennoll deß Gablers abgedruckt. T. I. p. 360 — 434.*

15  
Nun Mausel ist Grisbaus außter dem Sitzgästebuch der Universität ihm  
beßtige, und warf von Grisbaus und in seiner Comitulareo civico in  
Hab. gr. Nor. Test. abgedruckt sind, von Haufaßbar non

De potentiore ecclesiæ Romanae principalitate. ad  
locum Trenae lib. 3. Cap. 6. Trenae 1779.

de mundo a Deo Patre condito per Filium An. 1781.

P. in quo Eulogio de unione naturalium in Christo  
sintentia illustratur ibid. 1794 ist nicht von Grisbaus handschrift  
non P. H. Difuid.







DE HISTORIAE ECCLESIASTICAE  
NOSTRI SECVL VSBVS  
SAPIENTER ACCOMMODATAE  
VTILITATE

P R A E F A T V S

A D  
**AVDIENDAM ORATIONEM**

SVSCEPTI  
IN ACADEMIA IENENSI  
PVBLICI MVNERIS CAVSA

A. D. IVLII VI.  
RECITANDAM

INVITAT  
**IOANNES IACOBVS GRIESBACH**  
THEOLOGIAL PROFESSOR ORDINARIVS



TYPIS FICKELSCHERRII.

The image shows the title page of an old book. The main title 'MAGISTERIUM' is at the top, followed by 'SCHOOLMAGISTERIUM'. Below that is 'SCHOOLMAGISTERIUM' again. A large rectangular stamp in the center reads 'KOEN. FRIED. UNIVERS. ZU HALLE'.

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE



Memoria repetentibus nobis verae religionis inde  
ab ipsis mundi primordiis fata atque propaga-  
tionem, non solum facile patet, verissima esse  
quaes Paulus testatur, πολυμερως και πολυτρο-  
πως Deum hominibus voluntatem suam patefecisse, verum  
etiam nullo negotio intelligitur, causam cur Deus alio tem-  
pore alio institutionis modo usus sit, positam esse in eo,  
quod, mutata saepe humani generis conditione, mox hoc  
mox alio παιδειας τροπω opus esset. Sapientissimam hanc  
Dei ipsius Optimi Maximi οικονομιαν imitati sunt religionis  
ministri atque doctores omnium seculorum probatissimi at-  
que fidelissimi, suoque exemplo confirmarunt id, quod  
rei ipsius consideratio paulo accurasier edocere nos simili-  
ter poterat: oportere verbi diuini ministrum, in exponen-  
dis ac inculcandis religionis veritatibus, promouendoque  
christiana sapientiae atque virtutis studio, rationem habe-  
re suorum temporum atque hominum. Etsi enim vera Iesu

A

Chri-

2

Christi religio nulli mutationi obnoxia esse potest, sed vna eademque semper manet: tamen caelestis huius doctrinae ministri, tum in rerum praecipue tractandarum dilectu, tum in ipso tractationis modo, sedulo perpendere debent, quid suis temporibus sit conuenientissimum et iis hominibus, quorum cura ipsis demandata est, utilissimum. Hinc vero sua sponte porro consequitur, academicī doctoris esse, disciplinas quibus eruditionis theologicae ambitus continetur, ita auditoribus suis propinare, vt studioſa Iuuentus, in qua patriae atque ecclesiae spes posita est, mature discernere dicat, quid nostrae aetatis hominibus in primis necessarium sit, quid minus. Sic Baumgartenius, Heilmannus, aliqui magni nominis theologi recentiores, in tradendis Christianorum dogmatibus viam ingressi sunt paulo aliam et huius seculi vsibus magis accommodatam quam Melanchthon Chemnitius, Hutterus, et alii anteriorum temporum theologi meritissimi. In tractandis controversiis, quae inter Christianos agitatae fuerunt, antiquiores id potissimum sibi proposuerant, vt refellerent errores Pontificiorum, Anabaptistarum, aliorumque qui publicam ecclesiae nostrae doctrinam tum temporis impugnabant; nos vero minorem hodie operam istis controversiis, vtpote minus iam frugiferis impendere solemus, aut saltim alter, quam primis post saecorum reformationem temporibus, earum tractationem informamus, magis intenti obiectionibus Naturalistarum, Socinianorum etc. Similiter in tradenda historia ecclesiastica antiquiorum vestigia deserenda esse, recentiores ipsa re atque facto demonstrarunt. Qui primi inter nostrates rei-

pu-

publicae Christianorum sacrae historiam copiose enarrauerunt, Centuriatores Magdeburgenses, sui temporis hominibus potissimum consulere voluerunt, eamque ob causam vniuersam suam narrationem ita instituerunt, ut pateret, falsa esse quae Pontificii de doctrinae suae antiquitate Pontificumque Romanorum iuribus iactarent; antiquissimam contra esse eam quam Lutherus instaurauerat doctrinae et religionis formam. Sed ab hoc Magdeburgensem consilio, isto tempore longe utilissimo, alii postea historiae ecclesiasticae scriptores recte discesserunt, probe perspicientes, minus iam opus esse nostris hominibus historicō isto contra Papatum apparatu. Sic Gothofredus Arnoldus, animo a Magdeburgensem instituto valde alieno, nec tamen absque omni utilitatis fructu, opus suum historicum suo tempori inferuire cupiens, conscripsit. Animaduerterat scilicet Arnoldus, viris piis atque doctis non paucis temere inustam fuisse haereseos notam; multos contra orthodoxiae propugnatores laudatissimos saepe atque grauiter, licet impune plerumque, peccasse. Hac re incensus, animum induxit, ut haereticorum atque fanaticorum fere omnium causam ageret, eosque exculparet et ab haereseos infamia liberaret; orthodoxiae vero defensores publico odio atque contemtui, magno, licet impotenti plerumque, conatu, exponeret. Nos quidem hominem hunc fanaticismi labē infectum et partium studio saepe numero abreptum fuisse vltro fatemur, nec contra iustas multorum accusations defendere eum cupimus: sed hoc tamen concedendum nobis esse existimamus, isto tempore, quo Theologi non pauci ex orthodoxae doctrināe



nae a patribus acceptae ad posteros propagatione, et omnium qui haeretici ipsis videbantur debellatione laudem vni-  
ce quaerebant, parum solliciti quo eos iure harsenos accu-  
farent, aut quo armorum genere eos aggrederentur atque  
opprimerent; hoc inquam tempore, quo multi rei sacrae  
antistites longe maiorem operam impendebant aduersariis  
suis quouis modo reprimendis, quam internis atque *domesti*-  
*cis* societatis christiana*e* *vitiis* medendis; neutiquam intem  
pestiuam fuisse historiam ecclesiasticam, eo consilio, quod  
Arnoldus animo quidem conceperat, cui vero exsequendo  
varias ob causas idoneus non erat, conscriptam. Quin ne  
ipsa quidem Arnoldi opera, quantumuis vitiosa, prorsus  
fuit infrugifera. Negari saltim non potest, Arnoldi librum  
occasionem praebuisse nouis et accuratiōribus indagationibus  
in res gestas Christianorum antiquiorum et praesertim in  
concertationes catholicorum cum haereticis; et factum hinc  
esse, vt iam, post Arnoldum, rectius inter nostros infor-  
maretur historia ecclesiastica, vt imbellē illud contra omnes  
qui haeretici appellantur odium minus late regnet, quam  
ante Arnoldi tempora, et vt imminueretur sensim nimia et  
superstitiosa fere antiquitatis prisorumque doctorum, eo-  
rum praecipue qui haereticos strenue oppugnauerant, ve-  
neratio. Funesto igitur huius viri exemplo admoniti, se-  
dulo nobiscum reputabimus, non posse insigni vsu carere  
historiae ecclesiasticae tractationem, dummodo ita insti-  
tuatur, vt in rerum narrandarum delectu et narrationis mo-  
do temporis quo viuimus ratio habeatur, et omnia in hunc fi-  
nem dirigantur, vt ex ipsa rerum gestarum expositione  
per.

perspicue elucescat, qua ratione certissime atque facillime nostrae aetatis hominibus genuinam atque puram Iesu Christi religionem commendare, virtutis et veritatis studium acuere, pacis et concordiae amorem promouere, a vera doctrina aberrantes in rectam viam deducere, religionis sanctissimae hostes conuincere aut refutare, et varia nostri seculi vitia emendare possimus. Sed cauebimus etiam summa cura, ne ad metam hanc laudabili studio tendentes, Arnoldo similes fiamus, et peruersa cupiditate incensi a rerum gestarum veritate in narrando deflectamus, aut iudiciis peruersis et partium studium redolentibus nos aliosue in errores reipublicae sacrae pernitiosos implicemus. Atque hac de re paulo enucleatius disputare ac vtilitatem historiae ecclesiasticae, nostri seculi vsibus sapienter accommodatae, exemplis nonnullis in medium prolatis, declarare constitutum mihi est.

Duo vero hic consideranda veniunt. Primum disciendum est, quae nam sit hoc tempore rerum, si religionem spectes, conditio, et quid haec postulet a ministro religionis publico. Deinde videndum est, qua ratione ope historiae ecclesiasticae his subuenire queamus Christianorum necessitatibus. His rite expensis, simul patescet, quid in historia hac tum docenda tum discenda in primis spectari debeat ab eo, qui omnes vtilitatis ex ea decerpere cupit fructus, quos ex iusta rerum inter Christianos bene aut male olim gestarum narratione nostrae aetatis homines percipere posse videbimus.

Ad prius quod attinet, haberemus hic campum satis amplum in quem excurrere possemus, nisi breuitati studen-

—

dum esset. Cum vero omnia quae huc referri possent completi nequeant schediasmatis huius angusti limites, duo tantum breuiter attingemus, quae, consentientibus ut putamus omnibus, hoc tempore praeципue necessaria existimamus publicis religionis administris, nedum Christianis, omnibus. *Alterum*, de quo alia opportunitate, quam infra indicabimus, dicetur, hoc est, ut contra hostium christiana religionis sive insidias sive insultus satis sint praeparati atque muniti, nec solum de veritate et origine religionis nostrae diuina ipsi firmiter sint conuicti et persuasi, verum etiam aduersariorum tela, quae magnam partem ex historia ipsa ecclesiastica perperam informata depromi solent, fortiter excipere, immo retorquere, valeant. *Alterum* quod publicis religionis praeconibus hoc tempore inprimis necessarium esse putamus, paullo copiosius hoc libello illustrare habet.

Nempe auctis indies subsidiis ad faciliorem et accuratiorem theologicarum rerum cognitionem, concessaque maiore sentiendi scribendique de rebus ad religionem pertinentibus libertate, fieri non potuit quin multa dogmata, quae per longam annorum seriem pro indubuis verae doctrinae partibus habita fuerant, nouo et seuero examini subiecterentur, et a multis vel impugnarentur aperte, vel in dubium saltim vocarentur, ac incertis et scitu minus necessariis accenserentur. Contra hos insurrexerunt alii, numero multi, sibi inuicem admodum dissimiles, qui doctrinae priscae a patribus acceptae et, ut ipsis quidem videtur, purioris defensores videri volunt, et vario armorum genero  
ad-

—

aduersarios suos, quos Christi ipsius et religionis hostes esse contendunt, adoriantur. Lis haec composita nondum est, nec, si ex antiquorum temporum historia rem iudicamus, facile dirimi poterit. In tanta enim animorum exacerbatione disputandique seruore, sperare nondum licet, dissidentes *sua sponte* manus sibi praebituros amicas, et viam ingressuros esse medium, quae tutissima esse et a veritate proxime abesse solet. Pacificis vero *colloquis* nemo quicquam tribuet, qui tot colloquiorum de controversiis theologicis frustra institutorum historiam non ignorat. Neque *nouae doctrinae formulae*, publica auctoritate praescribendae, litibus istis finiendis aptae videntur. Nam non solum e litigantibus permulti tales formulas iusta auctoritate carere contendunt, adeoque nec satisfieri sibi hac ratione patientur; sed ipsa etiam sacrae ciuitatis historia docet, bella ciuium intestina publicis eiusmodi decretis vix vnquam feliciter composita fuisse. Quid quaeso effectum fuit nicaenensis aliisque contra Arianos decretis, aut ephesinis contra Nestorianos placitis? quid edita Chalcedonensium, henoticon Zenonis, ethesis Heraclii et typus Constantii valuebunt contra Eutychianos Monophysitas atque Monotheletas? Exacerbati sunt animi, turbata et in partes scissa ecclesia, fractum atque debilitatum Imperium; lites vero neutiquam cessarunt. Similia exempla permulta ex historia antiquorum et recentiorum temporum colligi possent, si eis locus hic esset. Quid? quod ipsa formula Bergensis conciliandis dissentientium animis impar forte fuisset, nisi aliae accessissent isto tempore opportunitates, quarum ope

pax

—

pax ecclesiae euangelicae vt cunque restituta tunc fuit. Sed  
vi fortale et metu ad vnitatem fidei compelli poterunt qui ab  
antiqua doctrinae publicae forma discedunt? Ita nonnullis  
forte videri posset; nobis tamen fecus sentire licebit.  
Summorum quidem Principum sapientissimis auspiciis paci  
tranquillitatique coetuum christianorum externae prospicitur,  
ac sedulo cauetur ne homines a verae christianaे do-  
ctrinae indubia norma aperte aberrantes, terrarum domi-  
nis et ecclesiis inuitis, doctores plebis sese gerant publicos,  
et nouum doctrinae typum priuata auctoritate Christianis  
obtrudant; aut errores proponant, quibus admissis vel so-  
cetas civilis detrimenti quid capere posset, vel a sincero ve-  
rae virtutis studio auocarentur hominum animi. Sed ipsae  
theologorum disceptationes, dummodo nec indubiis atque  
manifestis scripturae sacrae effatis contrariae, neque virtuti  
atque pietati periculose, neque societati sive ecclesiasticae  
sive ciuili exitiosae sint, vi dirimi, saluis Protestantium iu-  
ribus, haud possunt. Nempe res vniuersa redit ad mode-  
stam veri indagationem, placidum argumentorum vtrinque  
propositorum examen, accuratam ac solidam scripturae in-  
terpretationem, et peripciuam atque manifestam errorum  
refutationem; quae omnia re nulla magis quam vi et coa-  
ctionis metu impediuntur. Quare, cum omnia quae hac-  
tenus enumerauimus minus idonea sint componendis litibus  
inter theologos hodie agitatis, res omnis diuinæ permit-  
tenda videtur prouidentiae, quae, teste historia, christianaē  
ecclesiae atque doctrinae nunquam non inuigilauit, eamque  
a periculis imminentibus saepenumero liberauit. Interim  
ta-

tamen nos nihil omittere decet, quod, in hac quasi theologiarum rerum crisi, nostrarum partium est. Summa scilicet animi contentione, quantum in nobis est, id agere debemus, ut absque omni partium studio, abiecit omnibus opinionibus praecognitis, verum vnicet quaeratur, ad scripturae normam excutiatur, stabilietur, vindicetur; ut porro sentiendi libertas, quae auro carior nobis esse debet, intacta atque illibata conseruetur, ac, ne sub iugum humanae in rebus diuinis auctoritatis Christiani mittantur, caueatur, effraenis vero audacia et nihil non tentandi licentia iustis limitibus circumscribatur; denique ut pacis atque concordiae amor dissidentium animis instilletur, ut inimiciis candide positis alter alterum, quamuis secus nonnullis de rebus sentientem, fraterno amore, ut Christianos decet, prosequatur. Sed si in alia re vlla, in hac profecto summa opus est prudentia. Cum igitur historia prudentiae sit magistra omnium optima, hac etiam in causa vberrimos fructus pollicetur historia ecclesiastica rite tractata. Atque sic deuenimus ad id de quo distinctius differere constitutum nobis est, qua scilicet ratione rerum inter Christianos gestarum narratio eius quo viuimus temporis utilitatibus inseruire commodum queat.

I. Inter fructus, qui e iusta fatorum ecclesiae christiana cognitione ad nos redire possunt, primò loco commemoramus hunc, quod praecipitem nouandi libidine reprimat, qua tum ingenia feruidiora tum homines gloriae nimis cupidi saepe ita ducuntur, ut egressi e recta, sed solita et a

B

mul-



multis calcata, via, nouo! tranne soli aut primi incedere ges-  
tiant; non quod is ad metam citius aut tutius perducere  
videatur, sed quod nouus sit, a nemine antehac tentatus.  
Huius generis homines historia omnium fere seculorum ec-  
clesiastica ob oculos nobis ponit; sed talia eorum fata enar-  
rat, quae ab ipsorum, imitatione facile absterrere nos possunt.  
Ut enim aliqui interdum sint, qui nouarum rerum amore  
cipientur, longe tamen maximam hominum partem, in re-  
bus praecipue sacris, antiquis et a maioribus acceptis vni-  
ce delectari, et pro his, tanquam pro aris et focis, pertina-  
cissime pugnare cernimus. Hinc ausis suis plerumque ex-  
ciderunt nouatores, nisi forte singulari quodam diuini Nu-  
minis auxilio adiuuarentur. Ac notatu sane dignissimum  
est, nonnunquam facillimo negotio emendata esse ea, quae  
anterioribus seculis nulla arte nullaque virium intentione  
corrigi potuerant. Lutherus v. c. seculo XIV. nullo modo  
id praestare potuisset, quod seculo XVI feliciter, Deo an-  
nuente, perfecit. Patienter igitur exspectandum est illud  
temporis momentum, quod diuina sapientia magnis atque  
utilibus rerum ecclesiasticarum conuersionibus assignauit.  
Hoc non solum consolari nos potest, si corrigen-  
dis eis, quae  
vitiosa nobis videntur, impares nos esse sentiamus; sed coer-  
cere etiam debet intemperantiorem nouandi cupidinem.  
Nouatores enim nimis calidi, qui temporum opportunitates  
exspectare haud voluerunt, tam sibi quam reipublicae fa-  
crae mala attulerunt gravissima, et vitiis, quibus eradi-  
candis operam dabant, firmius stabiliendis ansam saepe de-  
derunt inuiti. Nouatianus, vt rem exemplo illustremus,

rectius

—

rectius procul dubio de poenitentia sensit quam catholici eius temporis doctores. Distinxit enim *metavox* quam Christus commendauit, ab ecclesiastica illa poenitentiae caerimonia, quae necessaria putabatur lapsis, publicam peccati veniam quaerentibus. Hinc, licet lapsis absolutionem solemnem denegaret, eosque a communione ecclesiae in perpetuum arcendos esse statueret; tamen ut *metavox* agerent et lacrymis gratiam Dei ac peccatorum remissionem quaererent, sedulo hortatus, et hoc ipso planissime professus est, peccatorum in diuino iudicio remissionem non pendere ab externo illo absolutionis ecclesiasticae ritu, sed a *metavox* seriae indole iusta. Catholici contra, illum ecclesiasticae disciplinae solemnem ritum, quo publice poenitentibus publice peccatorum venia concedebatur, ab interna animi poenitentia sive *metavox* et remissione peccatorum diuina non satis discernentes, (nam hanc absque illo locum non posse habere existimabant: \*) vta Nouatianorum, si pla-

B 2

cet,

\*) Rectius de *metavox* sensisse Nouatianum quam aduersarios eius, e sequentibus intelligi potest: Cyprianus non quidem eo vsque progrediebatur, vt eos omnes quibus faderdos pacem s. absolutionem concessit, aeternam salutem indubie ac necessario consecuturos esse statueret; fieri enim posse putabat, vt peccator poenitentiam falso simulet fadetemque fallat; et tales hypocritas, non obstante pace ipsis concessa, diuino iudicio poenaque subiectos manere fate-

batur. At enim vero in vniuersa illa contra Nouatianum disputatione fundamenti loco a Cypriano semper ponebatur hoc: *poenitentes, quibus ecclesia pacem non concessit, a beatitudine aeterna fore exclusos.* Ritus igitur absolutionis ecclesiasticae plane necessarius putabatur, nec *metavox* ac fides in Christum sufficiens Cypriano caeterisque videbatur ad consequendam salutem. Ordo igitur salutis ab hisce hominibus non parum immutabatur atque pervertebatur. Cyprianus præterea

12

cet, haeresi eo luculentius abhorrire se testarentur, uniuersum locum de poenitentia et de peccatorum remissione in dies

terea ipse fatetur, (Epist. 55. edit. Pearsoniana) Nouatianum exhortari lapsos ut poenitentiam agant, et ecclesiasticae quoque poenitentiae caerimonii sese submittant; ac nihilo tamen secius idem Cyprianus Nouatianum apellat misericordiae hostem, poenitentiae interfectorum, doctorem superbiae, veritatis corruptorem, perditoremque caritatis; (epist. 60.) et alibi addit (Ep. 68.) auctorrem eum esse, ut seruis Dei poenitentibus et ecclesiam pulsantibus claudantur diuinae pietatis et lenitatis paternae solatia et subfidia, nec ad vouenda vulnera admittantur vulnerati, sed, sine spe pacis et communicationis relieti, ad luporum rapinam et praedam diaboli proficiantur. Similiter auctor libri ad Nouatianum: fauciatum, inquit, occidit Nouatianus, adiendo spem salutis, denegando misericordiam patris, respuendo poenitentiam fratris. Dionysius item alexandrinus (apud Eusebium Libr. 7. cap. 8.) eum doctrinam de Deo nefariam inuexisse et clementissimum Dominum nostrum I. C. quasi implacabilem calumniatum esse tradit. Eusebius etiam H. E. Libr. 6, cap. 43 *saluis (σωτηρίας) spem* Nouatianum lapsis denegasse narrat. Tandem Vincentius Lirin. in Commonitor. c. 24. Quis, inquit,

ante crudelissimum Nouatianum crudelem Deum dixit, eo quod mallet mortem morientis quam vt reuertatur et viuat? Satis ex his patet catholicos necessariam putasse, ad salutem consequendam, illam absolutionis caerimoniam, qua poenitenti pax dabatur. Longe reetus Nouatianus remissionem peccatorum talibus caerimonii alligata munera negabat. Ac generatim paullo longius quam catholici Nouatianus absuisse videtur a superstitione illa persuasione, qua externis eiusmodi ritibus ecclesiasticis interna quaedam et spiritualis efficacia diuinaque vis tribuitur. Hanc forsitan ob eaufam, si coniecturam in re obscura proferre licet, Nouatianus, qui aegrotans ac in lectulo decubens clinicorum baptismum acceperat, noluit, cum conuulsius, episcopum adire ut manuum impositione ab ipso configuraret, et caeterae caerimoniae (in baptismo clinici omisssae) more ecclesiastico peragerentur. Nempe in baptismo peccata quidem remitti, sed per impositionem demum manuum ab episcopo factam Spiritum Sanctum conferri baptizatis existimabant catholici. Nouatianus vero intellectu videatur, apostolorum fuisse illam praerogativam, vt manuum suarum impositione Spiritum S. impertirent christiani;

diesi magis magisque eorruperunt, et horrendis illis erroribus qui postea totam latinam ecclesiam inuaserunt, viam quasi strauerunt. Nempe lapsis quibuscumque non solum poenitentiam dabant, h. e. ad poenitentium ordinem et classes varias eos admittebant, sed etiam, transacto tempore legibus praescripto, pacem i. e. solemnem absolutionem eis concedebant; eos vero qui pacem hoc ordine naucti non essent, adeoque nec fideles, h. e. ecclesiae catholicae membra, essent, aeternae damnationi addicebant. Quo factum est, tum vt genuina de interna *metavoca* doctrina mirum in modum obscuraretur et obliuioni fere traduceretur, externis vero poenitentiae ecclesiasticae actibus, qui confessione ac satisfactionibus potissimum absoluerebantur, maius indies pretium statueretur, ac prava hominum persuasio confirmaretur, qua talibus oacerimoniis veniam peccatorum consequi se posse autumabant; tum vt pudendus error, extra ecclesiam catholicam non dari salutem, conficeraretur ac in numerum orthodoxorum dogmatum, quibus catholici ab haereticis seiunguntur, referretur.

## B 3

## Prae-

nis; manus autem episcoporum destitutas esse vi ista atque efficacia apostolica. Atque hinc sine dubio deriuandus etiam est Nouatianorummos, baptismum celebrandi absque chrismatis collatione. Nempe *physicam* illam gratiam, quam episcopus suis manibus impertire putabatur, ignorasse aut negasse videatur Nouatianus. Vid. Dionys. alex. apud Eusebium H. E. l. 7. cap. 8.

coll. Theodoret. haeret. fabnl. libr. 3. c. 5. Quicquid sit, turbis quidem rempublicam christianam repleuit Nouatianus, nimis profecto erga lapsos *omnes* durus, et in coetus catholicorum quos a vera eccllesia desciuisse contendebat, iniurius; sed aduersariorum suorum erroneas opiniones corrigere haud potuit, licet rectius quam catholici nonnullis de rebus sentiret.



Praeterea ideo etiam ad restinguendam praecipitem nouandi libidinem conductit historia ecclesiastica, quia, dum alios eadem dudum protulisse testatur, id quasi aufert, quo fastus nouaturlentium praecipue pascitur. Quae enim ab aliis ante multa secula excogitata atque proposita iam fuisse scimus, ea, amissa nouitatis gratia, minus vehementer animum nostrum abripiunt, nec fastui nostro tantopere blandiuntur, quam quae ipsi inuenisse nobis videmur. Nostri enim ingenii foetus, eo ipso quod nostri sunt, nimis nobis placere, nec examini satis seuero subiici a nobis solent; inuenta vero aliorum, qui nullo propioris cognitionis genere nos attingunt, accuratius diutiusque ante trutinamus, quam eorum defensionem in nos fuscipimus. Denique eo quoque historia ecclesiastica nimiam noua sectandi cupidinem coerset, quod multos viros graues, pios, doctos verique amantes ob oculos nobis ponit, qui ea, quae ementita nouitatis specie nobis se se commendant, vt pote ipsorum aetate ab aliis iam prolata, non ignorarunt, et nihil tamen minus ea repudiarunt. Cautos saltim ac circumspectos hoc facere nos debet, ne praepropere h. e. sine serio diuturnoque examine amplectamur opiniones, ab idoneis et incorruptis iudicibus iam ponderatas, sed reiectas.

II. Historia rerum in ecclesia christiana gestarum admonere nos potest, ne antiquiorum doctorum vestigiis nunquam non inhaerendum esse arbitremur, nouaque omnia, hanc ipsam ob causam quia noua sunt et a priscis discrepantia, spernamus aut auersemur. Etsi enim a temerario noua-

nouarum opinionum studio nos reuocat atque absterret penitior ecclesiasticae historiae cognitio; eadem tamen nos inuitat atque excitat, vt indefesso studio et continua omnium virium intentione audeamus et ipsi in communione consulere, et eo eniti, vt liberalis solida atque nostris temporibus et hominibus sapienter accommodata rerum theologicarum cognitione promoueatur, fidei nostra dogmata in clariore luce magis magisque ponantur, et iustis obiectionibus ansa relinquatur nulla.

Primum enim, cum euidentissime ex historia ecclesiastica pateat, acroamaticam theologiam nouis mutationibus quoquis fere seculo obnoxiam fuisse, et, licet doctores anteriores optime, habita suorum temporum ratione, de systemate theologicō meriti iam fuisse, semper tamen superfuisse aliquid posteriorum cura addendum, res secundum, expoliendum, et ad maiorem perfectionis gradum eueniendum: valide inde colligitur, theologiae eandem esse rationem ac humanarum disciplinarum omnium, quae noua incrementa nunquam non admittunt; adeoque nec hodie deesse posse nouorum et utilium studiorum in rebus theologicis opportunitatem. Sicut enim ii, qui, historiae ignari, idem hoc sistema theologicum, quod in scholis hodieris tradi solet, primo aut secundo seculo iam existisse existimant, tam perfectum id esse credent, vt sine sacrilegio et impietate manifesta nihil in eo quicquam mutari possit: ita e contrario is, qui ex historia dogmatum, nobilissima ecclesiasticae historiae parte, fata et vicissitudines eruditionis theologicae cognitas habet, non facile desperabit, fore ut nouis



nouis studiis nouae vtilitatis aliquid afferri queat cognitioni rerum ad religionem pertinentium doctae.

Deinde historia subindicat, quanam sint eae eruditio-  
nis sacrae et systematis theologici partes, quae praeceteri-  
noua luce indigere videantur. Nam si causarum in-  
dole intelligi potest effectum conditio, historia profecto,  
dum causas enarrat ob quas maiorem minoremque perfe-  
ctionis gradum attigerit quaelibet theologicae eruditio-  
nis particula, non potest non eas quasi campi latissime patentis  
regiones designare, quae diligentiores adhuc culturam de-  
siderant. Accedit, quod non solum eas systematis partes  
ope historiae ecclesiasticae dignoscere discamus, quae ob-  
jectionibus praecepit ab aduersariis quoquis tempore impug-  
natae fuerint; verum etiam causas, cur aduersariis istis non  
potuerit plenissime satisfieri perspiciamus; id quod admon-  
nere nos potest, quanam in re diligentiam nostram vtilissime  
collocare queamus.

Denique eo etiam historia ecclesiastica ad candidam et li-  
beralem veri inquisitionem nos reddit aptiores, promtiores-  
que quod ab innumeris nos liberat opinionibus praeiudicatis.  
Neque enim fieri potest, ut praeposterter *antiquitatis* admiratio-  
ne abripi se patiatur, qui non ignorat, tum quam mature ab  
apostolicae doctrinae simplicitate recesserint Christiani, tum  
etiam quam exiguis antiquorum seculorum doctores subisti-  
diis, siue ad sacrarum literarum interpretationem, siue ad  
philosophiam naturaeque humanae solidam cognitionem

spe-

species, fuerint instructi. Neque magnorum nominum auctoritate nimis commouebitur et a proprii iudicij vnu abs terrebitur, qui istorum hominum imagines, quas historia ad viuum delineatas ob oculos nobis ponit, attento animo perlustravit. Sic v. c. conciliorum, oecumenicorum etiam, auctoritatem vilam admittet nemo, qui eorum acta et historiam diligenter perlegit, nisi forte omnem rationis iudicij vsum in rebus ad religionem pertinentibus penitus eiurauerit. Dudum quidem Protestantes abiecerunt vanam istam Patrum conciliorumque auctoritatem; sed vel hodie superfunt, nisi egregie fallor, haud pauci, qui, licet Pontificios ob admisam auctoritatem istam humanam acriter vituperare soleant, ipsi tamen auctoritatibus magis quam argumentis et rationibus iudicium suum regi patiuntur, et hanc potissimum ob causam nihil prorsus in disciplinis sanctioribus innovandum esse existimant, quia nefas sit a placitis tot magnorum hominum, sanctitatis doctrinaeque laude clarissimorum, discedere.

Tandem docet historia ecclesiastica, nihil debere Christianis esse pretiosius ac carius, libertate de rebus ad religionem spectantibus pro conscientiae suae sensu cogitandi ac statuendi. Haec libertas (quam ab effraeni licentia, contra religionem publice sancitam quaevis moliendi, toto coelo differre nemo non intelligit) summae felicitatis, non priuatae solum verum etiam publicae, nunquam non parens fuit. Quid enim excogitari potest miserius, feruitute illa omnium tetrica, quae hominum intellectum et conscientiam

C

tiam



tiam aliorum arbitrio olim subiciebat, et omnes ab vnius ore  
pendere cogebat, nec quemquam sentire aut loqui permit-  
tebat securus, ac clericorum quorundam decretis definitum  
et antiquorum doctorum auctoritate sancitum esset? Quid  
tristius esse potest sorte hominis, qui, quoties de rebus  
theologicis animi sui sensa candide, licet modeste nec coram  
imperita plebe, eloquitur, inquisitorem haereticae prauitatis  
et anathemata, verbera, carceres, exilium, imo fer-  
rum et ignem timere debet? Quid vero ex indigna ista fer-  
uitute consequatur, historia medii aevi abunde docet. Nem-  
pe enascuntur inde ignorantia, ignavia, stupor, supersticio-  
nes abominabiles et errores horrendi, efficiturque ut in-  
genia erectiora; cum omnia clericorum oracula credere aut  
nolint aut nequeant, credant nihil, et religionem christia-  
nam vniuersam figmentis et piis fraudibus annumerent.  
Contra vero, si Christianis eo iure vti licet quod Paulus eis  
concessit, cum eos omnia quidem examinare, e cunctis ve-  
ro optimum eligere ac retinere iuberet: studium veritatis  
indagandae perpetuo acuitur et nouis semper disquisitioni-  
bus, utilitate nunquam carentibus, locus datur. Hac via  
eo tandem peruenitur, vt publicae doctrinae formula ab  
omnibus, leuioribus etiam, naeuis libera existat, et nihil  
omnino complectatur, quod, siue ad thesum argumentum  
siue ad earum probationes spectes, veritati non sit profus  
consentaneum. Nec vlla res argumenta, quibus doctrinae  
nostrae veritatem comprobamus, luculentius confirmare  
potest, quam assensus tot virorum, vel ingenii acumine vel  
iudicij sagacitate praestantium, qui praeuio seuero examine  
et



et re multum cauteque penitata, doctrinam hanc veram esse *ultra* suaque *sponte* fatentur. Imo paci etiam tam ecclesiae quam reipublicae, historia teste, optime consulitur, si ea de qua loquimur libertas, instis cancellis sapienter limitata, hominibus concedatur. Nam si in causas inquirimus, cur bella atque dissidia, ob sententiarum de rebus sacris discrepantiam olim exorta, diuturna fuerint et utriusque ciuitati funesta, reprehendemus profecto, culpam tantum non semper coniiciendam esse in nimiam et imprudentem eorum severitatem, qui ferre non possent, ut quisquam vlla in re ab ipsorum dissidentiret opinione. Nimirum studium conservandi promouendique fidei unitatem, saepissime nouorum dissidiorum et schismatum causa fuit.

III. Historia ecclesiastica inseruire potest molimini bus eorum qui nouatores et reformatores nouelli vulgo audiunt, sobrie ac moderate iudicandis. Primum enim, ut supra iam indigitauimus, pro nouis et inauditis multa habentur perperam, quae dudum ab aliis in medium prolat a fuisse, historia docet. Qui v. c. controuerfiam de modo, quo a Patre essentiam diuinam habeat Filius, exigui ad religionem ipsam momenti esse existimant, sententiae suae patronum in ipso litis arianae principio iam habuerunt Constantium Magnum, qui in epistola ad Alexandrum Alexandriae episcopum et ad Arium scripta totus in eo est, ut ostendat, quaestionem inter utrumque agitatam admodum esse leuem nec tanta contentione dignam; apud Euseb. vita Constant. M. Libr. 2. cap. 64. sqq. „Mihi quidem, in-

C 2

quit,



quit, de harum rerum (rixarum inter Arium et Alexandrum) initio atque origine accuratius cogitanti, leuis admodum causa esse visa est, nec tanta animorum contentio ne digna. — Tales quaestiones (de aeterna Filii generazione, homousia etc.) quas nullius legis necessitas praescribit, sed inutilis otii alteratio proponit; licet ingenii exercendi causa instituantur, tamen intra mentis nostrae penetralia continere debemus, nec eas facile in publicos efferre conuentus nec auribus vulgi inconsulte committere. Quotusquisque enim est, qui tantarum rerum tamque difficultum vim atque naturam aut accurate comprehendere aut pro dignate explicare sufficiat? Quod si quis id facile consequi posse existimet, quotae tandem parti vulgi id persuasurus est? Aut quis in eiusmodi quaestionum subtili et accurate disputatione citra periculum grauissimi lapsus possit consistere? — Neque de praecepsu et summo legis nostrae mandato inter vos est orta contentio; neque noua a vobis de Dei cultu introducta est *αἵρεσις*. Sed vnam eandemque sententiam (nempe de rebus ad ipsam religionis summam pertinentibus) tenitis, adeo ut ad communionis societatem coire facile possitis. — De rebus paruis atque leuissimis contenditis — Scitis ipsoſ etiam philosophos vnius sectae professione inter se omnes foederari; eosdem tamen in aliqua assertionum parte interdum discrepare. — Plebeia sunt haec (diffidia et rixae ὑπὲρ μικρῶν ἔτω καὶ μηδαμῶς αὐγχαῖσιν) et quae puerili magis inscitiae, quam sacerdotum et prudentium viorum sapientiae congruant. — Haec non eo dico, ut vos de inepta (*λιαν ἐνδεις*) et qualiscunque demum vocanda est quaestio-

quaestione, idem omnino sentire cogam. Potest enim —  
 vna eademque inter omnes communio retineri, quamvis  
 inuicem de re aliqua minimi momenti disentiatis. etc.,  
 Aliud addimus exemplum, huic haud absimile. Cum Eu-  
 tychianaे lites de naturarum in Christo vnione per decreta  
 concilii chalcedonensis componi haud potuissent, sed essent  
 nonnulli qui doctrinam in concilio stabilitam reprobarent  
 et nouis controuersiis ac tumultibus, Alexandriae praeci-  
 pue, occasionem praeberent: Leo Imp. literis ad maiorum  
 vrbiū episcopos datis, iussit vt suarum dioecesium epis-  
 copos conuocarent, rescriberentque quid de concilii chal-  
 cedonensis abrogatione aut confirmatione, et de turbis  
 Alexandriae exortis, ipsis videretur. Pamphiliae igitur  
 episcopi quatuordecim (in Actis Concil. edit. Harduini  
 tom. 2. p. 731.) respondent Imperatori, fuscipere se definitio-  
 nes concilii chaleedonensis veluti scutum contra haereticos,  
 non vero tanquam fidei regulam, quae, velut *μαθημα* quad-  
 dam siue symbolum, baptizandis omnibus tradi debeat, et  
 a qua nemini Christiano, sub poena anathematis, recedere  
 liceat; celeberrimam enim Leonis M. ad Flauianum epistola-  
 lam a chalcedonensis patribus adprobatam, immo ipsa  
 synodalia chalcedonensium decreta, non spectare ad *plebem*  
 christianam, sed tantum ad sacerdotes et *clericos*, et pole-  
 micos contra aduersarios visib⁹ destinata esse; nihil differe,  
 siue Christus existere dicatur in duabus siue ex duabus na-  
 turis; perinde etiam esse, siue durarum naturarum unitas  
 inconsusa afferatur, siue vna dicatur Verbi natura, scilicet  
 incarnata; retinenda igitur sibi videri quidem statuta chal-

C 3

cedo-

— 10 —

cedonensia, sed optare se tamen, ut publice a Leone caeterisque chalcedonensium formularum auctoribus declaretur, decreta illa non habere vim atque auctoritatem symboli sive *μαθηματος* (i. e. non esse ea omnibus omnino Christianis inculcanda, quasi ad ipsam christiana religionis summa pertinerent;) esse ea haereticae tantum prauitatis increpationem etc. Quod de arianis litibus Constantinus, et de eutychianis Pamphilienis iudicarunt, idem fere de pelagianae controvrsiae momento sensit Zosimus, Ep. Rom. Postquam enim Pelagius et Caelestius non solum a tribus africanis conciliis dudum, sed nuper etiam ab Innocentio romano episcopo damnati essent, Zosimus Innocentii successor Caelestii causam nouo examini subiiciendam esse, epistola ad Africanos data, indicabat, et simul quid de quaestionum inter Pelagii asseclas atque Africanos disceptatarum pondere sentiret, declarabat. Caelestium, inquit, et quoscumque qui eo tempore ex diuersis regionibus aderant sacerdotes admonui, has tendiculas quaestionum et inepta certamina, quae non aedificant sed magis defruunt, ex illa curiositatis contagione prosluere, dum vnuquisque ingenio suo et in temperanti eloquentia seu scriptura abutitur etc. — Qui tales sententias isto tempore latas iam fuisse non ignorat de momento controvrsiarum, quae de diuinitate Iesu Christi naturarumque eius vnione aliisque rebus inter Christianos agitantur, is haudquaquam rei quasi nouitate, si forte a nonnullis similia fere hodie proferri audiat, percelletur, sed absque vila vehementiori commotione aut animi perturbatione verum pacate placideque inuestigabit, De plenis-

risque autem, quae hodie inter theologos controuersa sunt,  
 olim in utramque partem disputatum iam fuisse, norunt  
 omnes qui in historia sacrarum contentionum non prorsus  
 hospites sunt. Nolo iam ad lites prouocare cum Socini  
 et Arminii affectis agitatas, cum exemplis ex antiquiore  
 Christianorum historia desumptis assertio nostra abunde il-  
 lustrari queat. Valde v. c. displicuerunt viris doctis non-  
 nullis, quae de beatitudine ethnicis neutiquam abiudicanda  
 a theologis nonnullis nostra aetate disputata sunt. Sed Cle-  
 mens, doctissimus ille alexandrinae ecclesiae presbyter, iam  
 sub finem secundi seculi non solum eadem de aeterna paga-  
 norum salute docuit, verum longe etiam magnificentius  
 quam recentiores gentilium defensores de philosophis eth-  
 niciis locutus est. Stromatum libro I. p. m. 282 (edit. Paris.  
 1629.) Sicut Hebraeos, inquit, lex, ita Graecos philoso-  
 phia ἐπαιδαγωγεῖ εἰς χριστόν. Libro 6. p. 637. et libr. 7. p. 702.  
 et 705 a Deo Graecis s. gentilibus philosophiam, Iudeis ve-  
 ro legem datam fuisse docet. Libro autem 6. pag. 635. sqq.  
 coll. p. 648. Graeci, inquit, norunt Deum non κατ ἐπι-  
 γνοσίν sed κατὰ περιφασιν; Graecis proprium testamentum (dia-  
 θηκην δικαιαν, nimurum philosophiam,) dedit Deus; sed testa-  
 menta, Graecis et Iudeis olim data, iam sunt παλαιά, по-  
 сиумque datum est Christianis, καγὼς καὶ τρίτῳ γένει Deum  
 colentibus; unus igitur solus Deus a Graecis graece (s. ab  
 ethnicis ἐθνικῶς) a Iudeis iudaice, et a Christianis nouo ac  
 spirituali modo cognoscitur et colitur; quemadmodum Ju-  
 daeos saluos facere (σωζόνται) voluit Deus, mittens eis pro-  
 phetas: ita etiam Ἑλληνῶν τες δοκιμωτατες, δίκαιος ἀυτῶν τη  
 dia-

~~24~~

διαλέκτῳ ΠΡΟΦΗΤΑΣ ἀνάστοσας, — τὸν χριστιανὸν ἀνθρώπον διέχρινεν. Similia fere habet Iustinus Martyr, apolog. i, 46. Christus, inquit, est ratio illa (λόγος) cuius viviuerum genus humanum particeps est. Qui rationi conuenienter (<μετὰ λογου) vixerunt, Christiani sunt, etiamsi athei existimati sint; quales apud Graecos fuere Socrates et Heraclitus etc. Mitto alia vetustiorum Patrum eiusdem generis et argumenti loca, ut luculentiori adhuc exemplo ostendere possim, quam antiqua interdum sint ea, quae inaudita plane et nostro seculo propria multis videntur. Multi nouum hominum genus nuper exortum esse sibi persuadent, religione christiana longe nocentissimum. Naturalistas christianos appellare solent. Hos ipsa Christianisini fundamenta euertere, et vix, praeter nomen, quicquam quod christianum sit, retinere narrant. In primis vero vitio vertitur istis Naturalistis (si placet nomen) christianis, quod omnia religionis nostrae diuinitus reuelatae dogmata ad normam rationis humanae exigere conentur, et nihil, quamvis manifeste in sacris litteris traditum videatur, admittere velint, nisi ipsi etiam rationi peruum sit atque planum. Sed quaecunque demum illud hominum genus sit, (eius enim rei indagatio huius loci non est) sua saltim *nouitate* nemini terorem iniicere debet. Nam ineunte tertio post Christum natum seculo extiterunt inter doctores Christianorum celeberrimos nonnulli, qui non solum eadem fere docerent, quae ab his, quos christianos Naturalistas dictitari audio, hodie proferuntur, verum longe etiam ulterius in reuocandis ad rationis normam dogmatibus christianis progrederentur.

Om-

Omnium instar esse potest Origenes, qui, si quis vnquam, vniuersam non solum Scripturae S. interpretationem, sed ipsam etiam dogmatum christianorum expositionem, rationis ac philosophiae iudicio permisit, et omnes intendit nervos, vt haberemus (vt ipse ait apud Hieronymum comment. in Gal. 5.) *fidem rationabiliorem*, nec dubitauit, quin omnes sacrarum literarum loci, siue historici siue morales ac dogmatici, quorum sensus literalis non satis cum rationis humanae placitis conuenire aut invtilis Deoque minus dignus videbatur, nullum omnino habeant sensum literalem, sed mystice s. allegorice explicandi sint. Huius generis locos inumeros sere inuenisse sibi videbatur Origenes, non in Veteri tantum Testamento, verum in Nouo etiam, immo in ipsis Salvatoris nostri effatis apostolorumque epistolis. Sed breuitatis causa prouoco tantum ad homil. 7. in Leuitic. vbi §. 6. de lege mosaica: *si adsideamus, inquit, literae, et — (literaliter) — accipiamus quae in lege scripta sunt, erubesco dicere et confiteri, quia tales leges dederit Deus.* Videbuntur enim magis elegantes et rationabiles hominum leges u. gr. vel Romanorum vel Atheniensium vel Lacedemoniorum etc. Allegorice igitur hacte leges explicandas esse putabat. Quid vero generatim de historicis S. S. libris existimauerit Origenes, malumus, ne rem exaggerare forte videamur, Moshemii verbis quam nostris exponere. „*Existimauit Origenes 1) multas quidem historiae sacrae partes meras esse fabulas; at eas tamen non vnius, verum duplicitis esse generis: alias omni prorsus veri et verisimilitudinis specie carere, seu ex illis esse quae fie-*

D

fie-

fieri nullo modo possunt; alias veri quidem habere speciem  
et fieri propterea potuisse, nec tamen vñquam contigisse.  
2) Quasdam historiae sacrae partes, si generatim specten-  
tur, veras esse; at his tamen *interserta esse nonnulla veri ne-*  
*sia seu ficta.* „Commentar. de rebus Christ. ante Const. M.  
p. 650. Et paulo ante p. 635. dixerat Mosheimius: „Philoso-  
phiae suae praeceptis quum multa sacri codicis enuntiata  
et facta repugnare videret, necesse erat, vt rationem qua-  
reret lucem et vim eorum effugiendi; neque aptiorem et fa-  
ciliorem inueniebat quam hanc: *Quicquid in diuinis libris a*  
*ratione, i. e. a philosophiae meae lege abhorret, id secus intelligi*  
*debet quam verborum potestas poscit, et in allegoriam conuer-  
tendum.*„ Quibusnam vero fundamentis dogmaticam theolo-  
giam superstruxerit Origenes, iterum Moshemii potius  
verbis quam nostris narrare lubet. „*Omnia Origenis in*  
*christianam religionem peccata veluti e capite suo ab hoc*  
*manant praecepto, quod extra disceptationem positum pu-*  
*tat: religionis christiana et rationis sive verae philosophiae tanta*  
*est cognatio et necessitudo, vt OMNIVM dogmatum Christianorum*  
*non modo RATIO reddi possit ex philosophiae decretis, verum et*  
*iam MODVS determinari.*„ ibid. p. 622. Atque sic profecto-  
res sese habet. Qui Origenis scripta (praesertim libros περὶ  
ἀρχῶν, homiliae in libros mosaicos, et libros aduersus Cel-  
sum) attento animo perlustrauit et quo omnia tendant se-  
dulo animaduertit, is vix noui quicquam inueniet si finita  
Origenis lectione ad famosissimum illum librum: *Philoso-  
phia scripturae interpres*, aut alios huic similes, acce-  
dat.


dat. \*) Verissimum igitur est, multa satis esse antiqua, quae  
ficta nouitatis specie plerorumque animos tam vehementer

## D 2

per-

\*) Ne quis existimet, Origenem isto tempore solum talia tradidisse, monendum est, scriptores christianos seculi 2. 3. et 4. plerosque eundem fere calcasle tramitem. Non enim ex ipso sacrarum literarum fonte hauriebant fidei nostrae dogmata, sed, perceptis *ex ecclesiastica traditione* (vt cum Origene loquamur) doctrinarum maxime palmariarum elementis, caetera e philosophiae suae decretis supplebant; Scripturam autem sacram eatenus tantum in auxilium adhibebant, vt formulas modosque loquendi mutuo inde acciperent, siveque placita sacri codicis testimoniosis, nusquam plerumque detortis, vt enque confirmarent. Sic v. c. Christum esse Deum, vno ore omnes profitebantur; sed Deitatem eius sibi fingebat quisque pro philosophiae suae ratione, et ad philosophiae huius placita Scripturae effata, quantum poterat, accommodabat; donec, exortis super hoc dogmate variis controveneret, paulo curatus quid ea de re sacrae literae decernerent, indagari coepit. Sed redeamus ad Origenem. Quantae lites de orthodoxia huius viri motae fuerint, et quam feroces nauctus sit ac immittes aduersarios, omnibus notum est. Nihil intentatum hi reliquerunt, vt optimo viro, dudum de-

functo, odium conflarent, haereseos maculam ei adspargerent, eiusque libros pestilentissimorum errorum plenissimos esse, aliis persuaderent. Superfunt satis multi catalogi errorum origenanorum Sec. 3. 4. 5. et 6. a variis hominibus confecti. Sed in nullo horum catalogorum Naturalismi (vt hoc utr vocabulo) sive Rationalismi accusatur. Daminabant quidem haud pauci allegoricam eius interpretandi rationem; vnde Pamphilus iam in apologia sua Origenem defendendum esse censuit contra reprehensionem eorum, qui *universaliter* Scripturam in allegoriam ab eo conuersti clamabant. Erant etiam nonnulli, qui recte intelligenter, errores origenianos manusse et philosophicis ipsis placitis; et hanc ipsam ob causam Plato (a quo errores suos mutuo accepisse putabatur Origenes) e scholis theologorum inde a sexto seculo sensim exulare iussus, eiusque in locum Aristoteles surrogatus est. Itaque philosophiam *Origenis* damnabant quidem istorum seculorum doctores; ipsum vero philosophiae in enucleandis dogmatibus theologis usum nequitam reprobavunt, nec arcem causae origenianaee oppugnarunt. Refutandum nimirum in primis fuisset hoc Origenis placitum: dogmatum christiane religionis omnium



percellunt, vt omnem fere placidi candidique examinis facultatem ipsis admant.

Praeterea eximiam historia ecclesiastica vtilitatem praebet in iudicando dogmatum *συγνωματι* publice inter nos recepto;

nium e philosophia et rationem reddi et modum determinari posse. Cum vero hanc thesin ex innumeris istis Origenis aduersariis, quod sciamus, impugnauerit nemo, non sine ratione dixisse videmur, hanc dogmata christiana tractandi methodum aliis etiam praeter Origenem isto tempore arrisuisse, quamvis singulares quasdam Origenis opiniones vituperarent et nimium allegoriarum amorem in eo reprehenderent. Hoc autem si concedere nolimus, fateri cogemur, omnes doctores Sec. 3. 4. 5 et 6. adeo hebetes fuisse, vt fontem errorum Origenis omnium detegere non possent, licet vix quemquam libros origenianos, immo solam praefationem librorum *προλόγων*, legentem latere queat. Mibi quidem, vt mentem meam ingenue profitear, certissime persuasum est, plerosque Origenis aduersarios fuisse homines ineptos atque plumbeos; atque hos totius controvirschis cardinem ignorasse facile credo. Sed fuerunt etiam nonnulli, quamquam pauci, Origenis aduersarii, quos eruditos et sagaces fuisse nemo negabit. Hi

igitur, cum rationalismum nunquam obiecerint viro, quem quovis modo opprimere et exosum reddere studabant; consequi hinc videtur, hos ipsis vel non immunes fuisse ab hac rationalismi labe, vel errorem hunc annumerasse leuioribus, reprehensione vix dignis. Idem, ni fallor, dicendum erit de multis viris doctrinatis, caeteros coaeuos suis eruditione longissime superantibus, qui Origenis libellos supra omnem modum admirati sunt, eosque cunctis fere aliis libris post apostolorum tempora scriptis anteposuerunt. Nam credibile non est, ignorasse doctiores hos Origenis sive factatores sive aduersarios, cui nam fundamento superficuum sit yniuersum sistema origenianum. Multo enim plura, quam nos, Origenis scripta graece legere poterant; horum sensum plenius ac faciliter perspiciebat quam nostri homines; eidem philosophiae generi adfueri erant; imo multi vel Origene ipso vel auditoribus eius vxi fuerant magistris.

cepto; quae res maximi momenti est ad rite aestimandos eorum conatus, qui ab isto doctrinae typo aliqua ex parte discedunt. Historia enim magistra discimus

1) praecipua quidem religionis christianaee capita, si rem ipsam spectes, inde a primis post restitutam hominibus salutem seculis sat nota fuisse et, inter catholicos saltim, absque notabili mutatione fideliter propagata esse; accuratiore autem istarum rerum descriptiones mirifice pro temporum ac locorum diuersitate, variasse. Inde a primordiis Christianismi, vt hoc vtar exemplo, omnes magno consensu, praeente scriptura sacra, profitentur, peccata hominibus a Deo condonari propter Christum, et quidem propter mortem quam pro nobis subiit cruentam. Sed in definiendo rei huius modo, in exponenda redemtionis officii que mediatorii, quo Christus functus est, indole, et in determinanda ea ratione, quam habuerit mors Christi ad peccatorum nostrorum remissionem felicitatisque amissae instaurationem, tam segnes fuerunt trium priorum seculorum doctores, vt plerumque sola scripturae s. verba, nulla adiecta explicatione, repeterent. Interim tamen non solum ex iis locis in quibus paulo fusiis hac de re loquuntur, sed etiam e libris posteriorum doctorum, manifestum est, varias olim fuisse et admodum inter se discrepantes variorum ex ipso catholicorum numero sententias. Nonnulli per Christum ab aeterna mortis duratione liberatos nos esse putarunt; alii peccatorum tantum ante baptismum commissorum, alii solius peccati originalis veniam per Christi mortem partam esse autumarunt; erant, qui diabolis etiam,

D 3

aliis-



aliisque creaturis salutarem fuisse Christi mortem opinantur; quidam sanguinem martyrum effundi suspicati sunt ad expiandum aliqua ex parte populum redimendosque homines; absque dolorum sensu Christum subiisse mortem statuerunt nonnulli, a nostra doctrina profecto alieni; multi post mortem omnes, quamvis pios, homines igne a peccatis purgandos expiandosque esse statuerunt; alii alia commenti sunt. Nec defuerunt inter veteris ecclesiae doctores, qui a Socinianorum placitis propius abessent, et prouinciam Christi vix ultra doctrinae coelestis pleniorem declaracionem, immortalitatis spem restitutam, atque exemplum perfectae virtutis hominibus exhibitum extenderent. In primis vero commemoratione digna est mirabilis illa quam plurimorum patrum orthodoxiae laude clarissimorum tam graecorum quam latinorum opinio, quae plura per secula longe lateque, paulo aliter tamen ab aliis exornata, regnauit: Christum non Deo Patri, sed diabolo, cuius imperio iusto ac quasi legitimo homines subiecti essent, redemptionis pretium soluisse; non solum victum esse diabolum et regnum eius (qua de victoria multi scriptores vetustiores mirum quantum ineptiunt,), verum deceptum etiam et circumuentum esse a Christo diabolum, Salvatoris personam ac prouinciam ignorantem, quadam quasi fraude pia hominibusque salutari. \*) Figmentum hoc vix ac ne vix quidem conciliari

\*) Vberius hanc rem explicuimus in diff. quam in scripsimus: Loci theologici e Leone M. collecti. Halae 1768. p. 71 - 83. Con-

fer etiam S. R. Doederlein dissert. 2. de redemtione a potestate dia-  
boli. Altdorf. 1774. praefertim part. 2. p. II.

liari posse cum veriori nostra de peccatis hominum Saluatori imputatis et satisfactione Deo praefita, sententia, nemo est quin intelligat. Et hoc tamen commentum aperte traditum legimus in scriptis (vt e multis aliquos saltim eosque celebriores nominatim excitemus) Origenis, Basilii, Gregorii nyss. Hilarii p̄ct, Paciani, Augustini, Leonis M. Ambrosiastri f. Hilarii et Isidori hispalensis; quibus addi possunt, ex parte saltim cum his consentientes, Ignatius, Irenaeus, Gregorius naz. Epiphanius, Athanasius (seu quisquis auctor est sermonis perquam inuenusti, quamquam a nonnullis nostra etiam aetate laudati, de passione et cruce Domini,) et Gobarus, qui teste Photio ex instituto tractauit quaestionem, vtrum Christus *λυτρόν* Deo Patri a diabolo persolverit. Evidem neminem Chrysostomo et Augustino (qui tamen non vbique sibi constat, et libr. 13. de trinit. aperte scribit; In redemptione tanquam *preium* pro nobis datus est sanguis Christi, quo accepto diabolus non ditatus est, sed ligatus etc.) antiquorem noui, qui meliorem nostram doctrinam paulo enucleatius exposuerit; satis accurate autem vix ante Scholasticorum (varios tamen dogmati huic errores admiscentium) tempora a quoquam delineatam inuenies. Ego vero satis mirari vix possum, quid sit, quod per tot secula tot hominibus impune nemineque intercedente licuerit, praecipuum hoc fidei nostrae, de *officio* Christi mediatio et partis per eum humano generi beneficiis, dogma variis ac graibus sane erroribus obscurare atque commaculare, cum eodem tempore nemo de *persona et naturis* Salvatoris, imo de aliis etiam doctrinis cum fidei fundamento minus arcta

con-

—

coniunctis, vel latum vnguem ab orthodoxa fide recedere posset, quin haereseos statim accusaretur et anathematibus vndequeaque configeretur. Pelagianis quidem vitio vertitur ab Augustino, quod ideo naturam humanam dicant liberam et saluam, ut superfluum iudicent liberatorem et saluatorem; sed accusationem hanc leuiter tantum tangit acerrimus Pelagianorum aduersarius. Ac verum quidem est, Pelagianos non potuisse non doctrinam de redemtione, praesertim paruulorum, paulo aliter informare quam solebant ipsorum aduersarii; cum enim paruulos omni, tam proprio quam alieno, peccato carere statuerent, Christum poenas pro peccatis infantum luisse aut paruulos ex potestate diaboli redemisse, negare omnino debebant. At ipse tamen Pelagius expiatos esse homines per sanguinem Christi firmiter tenuit, et ad infantes quoque redemtionem pertinere, quamvis alio quam ad adultos modo, docuit. Primus nobis occurrit Abaelardus Seculo 12, cui haereseos nota iniusta fuit ob hanc (sed non solam; aliorum enim errorum atrocium simul accusabatur) causam, quod docuerit: Christum non ideo assumisse carnem, ut a diaboli iugo nos liberaret. \*) Quo vero cumque modo res sepe habeat

\*) Abaelardus quidem in Apologia sua Confessione sua aperte profitetur: *incarnatum esse filium Dei, ut nos a seruitute peccati et a iugo diaboli liberaret, et supernae adiutum vitae morte sua nobis referaret;* et Berengarius, Apologetico pro Abaelardo scripto, hunc non so-

lum defendere conatus est, sed in aduersarios etiam eius, praesertim Bernardum, sanctulum sycophantam, false atque perquam acerce inuectus est; nec aliae defunt causae, cur iniuste eum damnatum fuisse opinari liceat. Ac mihi quidem duabus potissimum rebus,

habeat cum Pelagianis et Abaelardo, ex eis quae hactenus diximus satis superque constare arbitramur, sententias antiquo-

bus, quod ad hanc accusationis partem attinet, Abaelardus ab aliis diffensissime videtur atque statuisse: a) nec opus esse, nec fieri posse, ut redemptoris per sanguinem Christi *necessitas* demonstretur; potuisse enim Deum alium etiam redemptionis modum, si ita sapientiae ipsius visum fuisset, reperire; atque hac in re vel ipse Bernardus ei assentitur; b) vanam esse istam plerorumque doctorum opinionem de iusto quodam diaboli in homines dominio, et redemptione ex hac seruitute per *avenger* diabolo solutum; nec veritati consentaneam esse vulgarem illam, de pugna Christi cum cacodaemonie inita, plerorumque Patrum insipidam narrationem. „Sciendum est, ait Abaelardus, quod omnes doctores nostri post apostolos in hoc conueniunt, quod diabolus *dominium* et potestatem habebat super hominem et *iure* eum possidebat. — Ideo, sicut dicunt doctores, hac *necessitate* incarnatus est filius Dei, ut homo, qui *aliter liberari non posserat*, per mortem innocentis *iure* liberaretur a iugo diaboli. Sed vt nobis videtur, nec diabolus unquam ius aliquod in homine habuit, nisi forte Deo permittente, ut carcerarius; nec filius Dei vt homines liberaret (sc. ab *hoc iugo*) carnem assumit.“ His potissimum

verbis nistitur accusatio Bernardi in epistola ad Innocentium P. R; hisque prolatis, pergit Bernardus, celebratissimum illud sanctitatis pietasque exemplar: *Annon insius os loquens talia IVSTIBVS tundetur, quam rationibus refelletur?* (digna tali sancto vox) ac deinceps, Abaelardum refutaturus, eam quae verior ipsi videbatur sententiam ita exponit: „Hoc diaboli quoddam in hominem ius, esti non iure acquisitum sed nequierit usurpatum, iuste tamen permisum. — Iuste igitur homo addictus, sed misericorditer liberatus. Sic tamen misericorditer, ut non defuerit iustitia quadam et in ipsa liberatione; quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, ut — *IVSTITIA MAGIS CONTRA INVASOREM* (diabolum) *quam potentia vteretur*. Quid namque ex se agere poterat, ut semel amissam iustitiam recuperaret homo seruus peccati, vincitus diaboli? Asignata est ei proinde aliena qui caruit sua, et ipsa sic est. Venit princeps huius mundi, et in Saluatore non invenit quicquam, et *cum nihilominus Innocenti manus iniecit*, iustissime quos tenebat omisit. — Qua enim iustitia id secundo exigetur homo? — Nam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: ut videlicet *satisfactio* viuis omnibus

34

tiquorum doctorum de redemtionis et satisfactionis modo  
tum varias fuisse et inter se dissidentes, tum ab accuratio-  
re nostrae ecclesiae doctrina haud parum discrepantes; li-  
cet phrases quibus Scriptura Sacra redemtionem per  
Christum factam describere solet, in scriptis Patrum anti-  
quorum omnium satis frequenter occurrant. Sed  
nos non ex auctorum qui fidei aliquod caput luculentius  
tractare cooperunt, aetate aut numero aut fama dogmatis  
veritatem metimur, sed ex solius Scripturae estatis eam iu-  
dicamus. Interim tamen illustratio ex historia dogmatum  
petita eo conductit, ut facilius et rectius pronuntiare pos-  
simus

*imputetur*, sicut omnium peccata  
vnum ille portauit etc., Ex his,  
ni fallor, tam Bernardi quam Abaelardi  
de redemtione hominum sententia facilis negotio eruiri potest;  
praesertim si addantur quae ibidem  
narrat Bernardus: docere Abaelardum,  
potuisse Deum iure ac *sine*  
*diaboli iniuria* profugum suum,  
(i. e. hominem) si misereri vellet,  
repetere et *solo verbo* eripere. Cae-  
terum, utrum recte omnino de re-  
demptione senserit Abaelardus, an  
reuera docuerit, quod Bernardus  
et Gaufridus antefiodor. eum do-  
cuile tradunt, „redemptionem in  
hoc solo constare, quod exem-  
plum nobis exhibitum fit usque ad  
mortem pro veritate et iustitia cer-  
tandi, adhibitusque sit velut quad-  
dam incentuum amoris, cum ex  
impenso amore occasio daretur red-

amandi;; id quidem altioris est  
indaginis et ab instituti nostri ra-  
tione nimis remotum. Sed dubi-  
tare saltim licet. Conferenti enim  
Abaelardi Introductionem in theo-  
logiam cum Bernardi accusationi-  
bus, nullum dubium superesse pot-  
est, errores saltim circa Trinitatem  
Abaelardo imputatos et ver-  
bosa declamatione a Bernardo ex-  
agitatos debellatosque, putidas  
elle nugas atque calumnias. Sed  
erat ex isto hominum genere Ber-  
nardus, qui eo longius latiusque  
diffusuros se esse sperant sanctitatis  
suae odorem, quo studiosius lar-  
uam induant propugnatorum ortho-  
doxiae et instauratorum filiorum  
Sionis, quoque impudentius  
aliorum, praesertim eruditione  
praestantium, virorum famae de-  
trahuit.

sumus de eorum sententiis, qui vel certum quendam explicandi aliquod dogma modum impugnant, vel hunc cogitandi modum liberum esse, nec ad christiana religionis fundamenta pertinere, contendunt. Nempe vel contra manifestum historiae testimonium statuendum erit, orthodoxos antiquiorum temporum doctores eundem omnes tenuisse in explicandis palmarii dogmatibus modum; vel fateri nos oportebit, *inde a secundo seculo usque ad sacrorum per Lutherum instaurationem, veram saluificamque Christi doctrinam, quoad multas nobilissimas maximique momenti partes eius, penitus fere ignoratam et inter ipsos catholicos doctores vix vni et alteri cognitam fuisse;* vel denique concedere debebimus, rei summam saluam saepe posse manere atque eandem, quamvis modus eam informandi aut causas eius reddendi non sit unus idemque. Attamen aliis eam cogitandi modus praestantior est et Scripturae S. conuenientior, hinc verior, alio. Quare in his etiam rebus summa quantum possumus cura errores omnes euitare studebimus: errantes vero non statim ipsam christianam religionem euertere aut aeternae salutis suae indubiam iacturam facere, audacter pronuntiabimus. Pluribus exemplis quae hactenus dicta fuerunt, porro illustrari possent atque confirmari; et multis unum addere licebit. Corruptos esse homines atque in vetita niti, nec absque diuino auxilio ad virtutis culmen, christianam pietatem, peruenire eos posse, nemo negavit unquam. Sed corruptionis modum, originem, gradum et ambitum, (vtrum, et quo sensu, infantes etiam corrupti sint,) ac gratiae qua hominibus opus sit diuinae indo-

lem, non uno modo descriperunt doctores christiani, inde ab antiquissimis temporibus. Luce sane meridiana clarus est, sub ipsa Pelagianisini initia diuisas fam fuisse ecclesiasticorum virorum sententias. In Africa dudum floruerat ille doctrinae typus quem Augustinus Pelagii placitis postea opposuit. Graecorum contra permulti parum aberant a Pelagii sententia, a qua etiam alii latini, graecarum literarum haud rudes, v. c. Hilarius pictavensis, Rufinus etc. non abhorruerant. Roma denique medianam quasi viam tenuisse videtur. Hinc Pelagio Romae degenti ac docenti nemo Romanorum se opposuit; vt primum vero cum Caelestio in Africam deuenisset, et talia in medium protulisset, quae dissiderent ab ea doctrina cui Africani assueuerant, grauissimum errorum accusatus fuit. Zosimus, episcopus romanus, Pelagium absoluit, licet hic in libello Papae oblatu claris verbis peccatum cum homine nasci negasset, doctrinamque de traduce peccati tanquam longe a catholica fide alienam reprobasset. Tandem, cum iam ab Imperatore leges contra Pelagionos latae essent, vix, iteratis Africanorum admonitionibus et instigationibus, persuaderi Zosimo potuit, vt Pelagium damnaret. Graeci vero, ne post pelagianas quidem lites eo adduci potuerunt, vt omnia Africanorum placita, a latinis publice recepta, in eorum datum numerum referrent, quibus orthodoxa fides aestimatur. Immo ipse etiam Augustinus in libris suis ante pelagianas turbas exaratis, e. gr. de libero arbitrio, de duabus animis, aliisque nonnullis, haud pauca scripsit, quae Pelagiani postea non sine magna specie in suos usus contra Augusti-

gustum ipsum conuerterunt; quam ob causam primo Retractionum libro commoda interpretatione variisque distinctionibus subueniendum esse censuit istis suis sententiis, ne pelagiano dogmati quodammodo fauere viderentur. Seuero autem arbitro istas excusationes satis esse facturas vix credimus.

2) Postquam plura per secula haec de rebus theologicis arbitrandi libertas ita locum habuisset, ut non solum in eadem prouincia, diuerso tempore, diuersae sententiae valerent, sed etiam eodem tempore contrariae opiniones, diuersis in locis, receptae essent: tandem de plerisque doctrinae capitibus leges sensim promulgatae sunt ecclesiasticae, quae, quid credendum et quaenam phrases ac descriptionis formulae a catholicis Christianis omnibus adhibendae sint, definiebant. Latae hae sunt, sub auspiciis maiorum episcoporum, in conciliis, per suffragia clericorum ad synodus euocatorum, hominum maxima ex parte indoctorum et seruillium, qui ab ore atque nutu maiorum quorundam episcoporum pendebant. Synodalia vero decreta ab Imperatoriis rata haberi ac legibus ciuilibus confirmari solebant. Quo facto, tanta eorum erat vis atque auctoritas, ut nemini a norma fidei, a patribus concilii praescripta, discedere liceret. Ut primum enim secus aliquem sentire compertum erat, haereticis accensebatur, et poenis tam ecclesiasticis quam ciuilibus subiectus erat. Quoniam vero conciliis conuocandis et dogmatibus definiendis occasionem tantum non semper praebebant lites dogmaticae nuper exortae; hae au-

E 3

tem



tem non raro spectarent ad res leuioris momenti nec cum fundamento et summa christiana religionis coniunctas: fieri non potuit quin haereses rei agerentur interdum ii, qui non nisi in rebus admodum exiguis a doctrina publice stabilita abhorrent. Quicquid enim ecclesiastica auctoritate definitum erat, id, qualecumque esset, sacrosanctum putabatur atque immutabile. Interim de doctrinis sat multis atque grauibus nihil praeceperat conciliorum auctoritas. De his igitur vnicuique liberum erat, prout vellet, statuere; quo iure liberaliter vsos esse scimus Scholasticos plerosque. Cauere tamen sibi solebant prudentiores, (nisi forte gratia aut potentia tantum pollerent, vt vanam episcoporum iram, aliis metuendam, contemnere possent,) ne vel nimis confidenter quicquam contra vnaminem eorum Patrum, quorum maxima erat auctoritas, sententiam decernerent, vel contra geographiam, vt ita dicam, dogmaticam peccarent. Fieri nempe poterat, vt in altera dioecesi inaudita essent et heterodoxa viderentur, quae in altera satis visitata essent. Si quis igitur ex altera prouincia in alteram inferre auderet opiniones illic quidem receptas, sed hic loci insitatas, horrenda bella ciebantur et nouis episcoporum definitionibus occasio praebebatur. Exemplo res fiet clarior. In decretis concilii nicaeni sanctum quidem erat, Iesum Christum, Dei filium, esse Deum verum, aeternum, Patri consubstantiale, et ex huius essentia genitum. De his igitur omnibus, consentire oportebat catholicos omnes. Sed de duabus Salvatoris nostri naturis, de quibus nulla hactenus mota fuerat controversia, nihil decreuerant Patres nicaeni.

caeni. Hinc in alexandrina aliisque dioecesibus multi solebant unam tantum φυσιν seu naturam Christo tribuere. Alibi vero, e. gr. Constantinopoli, dogma de duabus Seruato-  
ris φυσεσι communis vsu receptum erat. Diu locum habuit  
hoc sententiarum discrimen, quarum neutra haeretica pu-  
tabatur; utriusque enim patroni nicaenis et aliis contra  
Photinianos et Apollinaristas decretis assentiebantur, et  
Christum verum Deum esse atque verum hominem profiteban-  
tur; sed modum quo diuinitas humanitatem sibi iunxerit, va-  
rie, nec iisdem phrasibus, descriebant. Alii ἐνώπιον, alii  
τύπωφεια nominare solebant. φυσιν ab ὑποστάσει discernebant  
nonnulli; sed alii utramque confundebant. Tandem voca-  
bulum Θεοτόκος diris atque cruentis bellis locum dedit. Non-  
nulli constantinopolitani vtebantur hoc vocabulo; alii eius-  
dem vrbis clerici, quibus ipse vrbis Patriarcha, Nestorius,  
sece adiungebat, vocabuli usum reprobrabant, quia Ariani  
ac Apollinaristae ad stabilendos suos errores eo facile abu-  
ti posse ipsis videbantur. Cum vero Nestorius sententiam  
suam satis bene declarasset, potuisset, ni fallimur, intesti-  
num istud dissidium satis facile ac cito componi, nisi alia-  
rum dioecesum patriarchae, contra ius fas, constantinopolita-  
norum litibus intempestiue se se immiscuissent; politicis pro-  
cul omni dubio rationibus ducti, ne scilicet Nouae Romae  
patriarcha ad summum ecclesiasticae auctoritatis fastigium  
sensim assurget. Itaque, fauente romano episcopo, alexan-  
drinus patriarcha, Cyrillus, (ferocis ingenii homo et doctri-  
nae de naturarum ἐνώπιοι, immo de una φυσει affuetus,) Nesto-  
rium, quasi duo προσωπα et duos Filios statueret, aggref-  
sus

sus est eumque, nefandis profecto artibus, vicit, atque effecit ut in concilio ephesino damnaretur. Sed hic Cyrilli, siue *Alexandrinorum* de *Constantinopolitanis* triumphus nouis et atrocioribus fere bellis locum dedit. Etsi enim Catholici omnes eos errores, quorum, licet falso, Nestorium insimulauerat Cyrilus, damnabant, pristina tamen opinionum diuersitas perdurabat. Nempe Patres ephesini nondum distincte latis pronuntiauerant, quaenam de naturarum vnoine phrases vel orthodoxae essent vel haereticae. Inde factum est, ut multi, *orientales* praecipue, a phraseologia *Cyrilliana* siue *alexandrina* vehementer abhorrerent, et *Cyriillum* cum affeclis suis heterodoxiae suspectum reddere conarentur. Alii autem, nimil Cyrilli admiratores, *alexandrinum* hunc πατέριας τρόπον pertinaciter defendebant; eundemque caeteris omnibus aliarum dioceſum episcopis obtrudere vehementer cupiebant. Nimirum *constantinopolitanus* clerus, si a monachis et forte aliis paucis discedas, a sententiis cyrillianis siue *alexandrinis* alienior erat, et orientibus episcopis, Cyrilli aduersariis, haud obscure fauebat; haud immemor, ut videtur, iniuriae a Cyrillo nuper patriarchae suo, Nestorio, illatae. Eutyches vero, monachus, cyrillianis partibus deditus, perquam intempestiuem cyrillianas siue *alexandrinas* formulas *Constantinopoli* publice frequentare solebat. In ius igitur vocabatur atque condemnabatur. Sed *alexandrinus* hunc suum clientem neutiquam destituebant. Dioscurus, *alexandrinorum* patriarcha, fauente Theodosio Imperatore, in synodo ephesina illa quae ληστρικη vulgo appellatur, Eutychen *absoluit*, et iudicem

cem qui hunc condemnauerat, Flauianum patriarcham *constantinopolitanum*, anathemate percussit. Sed *constantinopolitano* suppetias fert *romanus*, qui aemulum suum, *Nouae Romae* praesulem, quantum satis esset depreclus nunc esse autumabat et timere incipiebat, ne alexandrinus totum christianarum terrarum orbem suo imperio subiiceret. Itaque Leo Magnus, ep. *romanus*, annuente Marciano post opportunam Theodosii mortem Imperatore, Dioscuri *alexandrini* condemnationem procurauit in concilio chalcedonensi. Atque in hoc concilio oecumenico doctrina de duarum Christi naturarum vniione personali satis accurate, ex mente occidentalium et constantinopolitanorum, (quorum iunctis viribus *alexandrini* resistere haud poterant) exposita atque definita est. Sed ne sic quidem pax restituta fuit. Sufficere tamen possunt ea haec hactenus narrauimus, consilio nostro. Nam vel paucula haec luculenter demonstrant, quomodo de dogmatibus atque phrasibus, doctorum arbitrio antea permis, leges procedente tempore latae fuerint ecclesiasticae, per quas vnicus rem cogitandi atque explicandi modulus christianis omnibus, sublata pristina libertate, praescriberetur. Simul vero ex iis quae diximus patet, partim quoniam consilio quibusque artibus istae leges dogmaticae a potentioribus episcopis procuratae fuerint; partim tam exiguum habitam fuisse veritatis rationem, ut neutiquam istorum hominum φιλαληθεια, sed vnicce diuinae prouidentiae tribuendum sit, si forte in istis conciliis veritas victoriam de errore reportauerit.

F

3) Ex



3) Ex historia ecclesiastica discimus, quomodo illud dogmatum *συσημα*, quod in ecclesiis euangelicis publice recep-  
tum est, sensim coaluerit, et eam au<sup>r</sup>oritatem, qua apud  
nos pollet, consecutum sit. *Initio* superstructum id erat, tan-  
quam fundamento, conciliorum, praecipue oecumenicorum,  
decretis atque patrum orthodoxorum effatis, collatis ta-  
men icripturae sacrae oraculis. Etsi enim negari non pot-  
est, ecclesiastica auctoritate definita esse pleraque om-  
nia, (de iis enim doctrinis quae ipsum christiana<sup>e</sup> reli-  
gionis fundamentum constituunt, et claris verbis in Scrip-  
tura S. continentur, hic non loquimur, sed de iis tantum  
quae ad systematicam s. acromaticam theologiam perti-  
nent, verba acimus) vltro tamen fatemur, ad Scripturam  
S. catholicos, data occasione quavis, prouocasse. Sed quo-  
niam plerique admodum imperiti erant sacrarum literarum  
interpretes, non tam ad Scripturae normam examinaban-  
tur conciliorum atque patrum placita, quam potius ita ex-  
plicabatur Scriptura ut cum his nunquam non consentiret.  
Scholastici *deinceps* hoc sistema dogmaticum, ex conciliorum  
et patrum decretis coagmentatum, denuo excuslerunt at-  
que in formam artis redegerunt, admistis inanibus subtilita-  
tibus permultis, immo etiam erroribus nonnullis; de vna  
tamen alteraue doctrinae publicae parte bene, pro istorum  
temporum ratione, meriti sunt. Haec erat dogmaticae  
theologiae forma *eo tempore*, quo Lutherus purgandorum fa-  
crorum initium faciebat. Abiecta humana auctoritate omni-  
ni, ac instaurata meliori Scripturae interpretatione, Vir  
immortalis, aliorum nonnullorum auxilio adiutus, syste-  
ma

ma istud ecclesiasticum summa qua potuit diligentia cum Scripturae oraculis rectius iam intellectis contulit, et, licet immutata retineret quaecunque retineri posse viderentur, refecuit omnia quae vel erronea vel prorsus inutilia esse intelligebat, rectiusque informauit quae contorta, depravata et Scripturae S. non satis consentanea esse deprehendebat. Ortis post obitum eius nouis inter theologos nostros controuersiis, genuinam Lutheri doctrinam ita repetit atque declarauit Formula concordiae, ut omnibus dissidentium partibus nonnihil, si fieri id posset, pacis causa concederetur. Post ista vero tempora, iusta quidem Scripturae S. interpretatio studiosius exulta, historia ecclesiastica luculentius illustrata, ac philosophia a multis vitiis et inepitiis purgata fuit; sed in systemate dogmatum nihil, si methodi variam indeolem et argumentorum s. probationum dilectum paulo curatiorem excipias, immutatum est ab iis quibus doctrinae Lutheranae puritas curae cordique fuit, donec, ut supra diximus, recentioribus temporibus viri docti nonnulli summam atque prorsus absolutam huius systematis perfectionem in dubium vocarent. Horum igitur conamina ope historiae ecclesiasticae rite tractatae, (quae dogmatici systematis tum ortum, tum vicissitudines earumque causas enarrat,) facilius iudicari posse, ex iis quae hactenus disputauimus patere arbitramur.

IV. Historia ecclesiastica porro docet, quomodo aduersus eos, qui a doctrina quae orthodoxa inter nos censetur, aberrare videntur, gerere nos debeamus. Qui enim

F 2

tot



tot sacrorum dissidiorum historiam attento oculo perlustrat,  
et causas sedulo inuestigat, cur alia mox atque feliciter com-  
posita, alia vero, non sine reipublicae christianaे detrimento  
insigni, per plura secula continuata fuerint, aliorum ex-  
emplo atque periculo sapere, ac quid sequi quid fugere oport-  
eat verae doctrinae defensorem, discernere discit. Quo-  
tiescunque enim armis, vi, calumniis, conuitiis, fraudibus  
aliisue huius generis artibus vñi sunt orthodoxiae propugna-  
tores, nihil quod christiano nomine dignum et ecclesiae  
salutare esset, effectum fuit. Quin haereses huiusmodi  
armis oppugnatae, interdum ne extingui quidem potuerunt.  
Numerosi tam Nestorianorum quam Eutychianorum coetus  
hodienum sub orientem solem superflunt, qui nulla neque vi  
neque arte eo adduci potuerunt, vt ad catholicae ecclesiae  
communionem redirent. Vitari vero potuisset funestum  
istud dissidium, si iudices ineunte controuersia mitiores ac  
aequiores se praebuissent Nestorio et Eutychi. Eutyches  
v. c. cui, vt omnes norunt, criminis dabatur, quod huma-  
nam Christi naturam nostrae consubstantialem esse negaret,  
et duarum in Christo naturarum discrimen ita tolleret, vt  
vnam tantum, ex diuinae humanaeque quadam quasi com-  
mixtione ortam, Christo naturam tribueret; publice co-  
ram iudicibus in concilio Constantinopoli habito (ap. Har-  
duin. tom. 2. pag. 162. sqq.) professus est: Confiteor filium  
Dei carnem assumisse ex carne sanctae virginis, et hominem  
eum factum esse perfectum, τελειως. Cum instarent  
nonnulli, vt Christum quoad carnem nobis consubstantia-  
lem esse fateretur, respondit Eutyches: Quoniam vos iam  
dici-

tis, omnibus consentio. Vsque ad hodiernum diem sic locutus non eram; si autem oportet ut dicatur: ex virgine et confubstantiale nobis; etiam hoc dico; hac tamen addita cautione, ne quis το ὄμοστον ita interpretetur, quasi negem Christum esse Filium Dei vnigenitum. Interrogatus porro, vtrum coactus, an vero ex animi sui sententia veram hanc fidem profiteretur? respondit: ad hanc vsque horam talia dicere metuebam, quia Dominum nostrum sciebam Deum esse, et de naturis eius disputare (Φυσιολογειν) non audebam; sed quia vestra sanctitas permittit ac docet, et ipse iam dico. Denuo interrogatus, confiteor, inquiebat, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum aute vnionem, post vnionem autem vnam naturam (nempe ἐνσάρκωμενην, plane vti Cyrilus) confiteor. Tunc sancta synodus dixit: oportet te clare confiteri, et anathematizare omne dogma quod contrarium est his quae modo lecta sunt. Eutyches, dixi, inquit, sanctitati vestrae, quod antehac non dixerim talia; nunc autem, quoniam hoc docet sanctitas vestra, dico, et sequor patres. Attamen in Scripturis non inueni hoc manifeste explanatum, neque omnes patres dixerunt. Si vero anathematizauero, vae mihi! quod patres meos anathematizo.\* Exsurgens sancta synodus clamauit: Anathema ipsi! Praeses concilii dixit: Si quidem confitens proprium peccatum

F 3

(70)

\* Iam antea professus erat Eutyches, si quid forte a Patribus minus recte dictum sit aut erratum, id se neque reprehendere ac  
damnare, neque recipere, sed folias scrutari Scripturas, tanquam Patrum expositionibus firmiores. Harduin p. 142. coll. 186. 187.

(το οἰκεῖον πτωσία) persuaderetur anathematizare propriam doctrinam, et consentire nobis, sequentibus traditiones sanctorum patrum, merito dignus esset venia. Sed quoniam permanet in sua malignitate, subiacebit vindictae canonicae. Eutyches dixit: *Dico quidem ista*, quoniam et vos nunc iustificistis; *non autem anathematizo.* Legi scripta b. Cyrilli et sanctorum patrum et sancti Athanasii, qui ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunctionem, post ἐνώσιν autem et incarnationem non iam duas naturas sed unam naturam dixerunt. Legi iubete S. Athanasii scripta, ut aduertatis quoniam nil tale dicit. Tunc, paucis interiectis, condemnationis sententia lata sicut sequentem in modum; \*) Per omnia Eutyches, quondam presbyter et archimandrita, et ex his quae antea acta sunt, et nunc propriis eius confessionibus, Valentini et Apollinaris peruersitate repertus est aegrotare, et eorum blasphemias incommutabiliter sequi; qui nec nostram reuerens persuasionem atque doctrinam, rectis voluit consentire dogmatibus. Vnde, lacrymantes et gementes perfectam eius perditionem, decreuimus per Dominum nostrum I. C. ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio sacerdotali, et a nostra communione, et primatu monasterii etc. — Verbosius haec ex ipsis actis concilii describere.

\*) Quanti fuerint, cum damnationis haec sententia publicaretur, tumultus quantaque episcoporum vociferaciones, patet ex iis quae in Actis leguntur apud Harduinum p. 203. sqq. Praeterea Silentia-

rius Magnus, iussu Imperatoris solemniter interrogatus, profesus est, se vidisse depositionis formulam in charta iam conscriptam ante synodum, ibid. p. 211.

bere non piguit. Quis enim est qui non perspiciat, Eutychem, senem nonagenarium, satis se praebuisse facilem atque morigerum? Nulla in re non cessit synodi mandatis; sed quia nolebat in ipsissima hominum istorum verba iurare, neque eos *exsecrari omnes* qui paulo aliter siue sentirent siue loquerentur, condemnatus est. Atque ex hac praecepiti aduersus Eutychem sententia enatum est funestum illud dissidium, quod hodienum orientalem ecclesiam in varias partes scindit, postquam diurnarum persecutionum, bellorum, caedium, incendiorum et innumerorum scelerum et malorum Sec. V. VI. VII. causa fuisset, ac felices Saracenorum contra graecos Imperatores progressus hanc parum adiuuisset. — Neque ariana haeresis tam late propagata nec tantas eundo vires nausta fuisset, nisi partim clericorum litigiosorum culpa, partim Imperatorum qui ab episcopis regi se patiebantur, vitio, dissentientium animi magis magisque exasperati atque mutuo odio incensi fuissent. Generatim vero obseruare licet, eas haereses difficillime extintas esse, quibus opprimendis Imperatores intempestive se immiscuerunt. Putidissimae theologastrorum rixae largam infortuniorum segetem fere semper cum ecclesiae tum reipublicae intulerunt, vt primum animum suum induxerunt Principes, vt subditos suos omnes alterutri parti per omnia consentire cogerent, neque permitterent ut secus sentientes (quamquam publicam vtriusque civitatis tranquillitatem neutiquam turbarent) suas res sibi haberent et suo modo ac pro sua conscientiae sensu Deum colerent. Contra vero eae controversiae dogmaticae felicius compositae sunt



sunt, aut saltim nouarum sectarum causae non fuerunt, nec reipublicae exitiosae euaserunt, in quibus soli theologi cum theologis decertarunt, et argumentis ac libris nil praeter argumenta et libros opposuerunt. Hanc ob causam semi-pelianaem olim, et recentioribus temporibus pleraque controversiae theologicae quietem publicam labefactare non potuerunt. Sed antiquior historia ecclesiastica perpaucas ob oculos nobis sistit controversias, sic disceptatas, ut exemplum nobis exinde sumere, et quid rectum ac vtile sit, vel ad inueniendum verum vel ad conseruandam publicam pacem, discere queamus. Sed cum doceat nos, quid veritatis inuestigationi officiat, societatem christianam in partes scindat, et reipublicae salutem labefactet; adeoque quid in tractandis controversiis euitandum sit: hac tamen ratione sacrorum istorum bellorum accuratior cognitio admodum utilis est ei, qui scire cupit quid deceat virum prudentem, pacis aequem ac veri amantem, in oppugnandis praevenientium erroribus, defendendaque ab aduersariorum insulibus puriori doctrina.

Neque tamen hoc tantum praestat historia ecclesiastica, ut quid imitandum vitandum sit luculenter demonstret, verum etiam animum ipsum salubriter commouet, eumque tam pacis, concordiae, mutuaeque tolerantiae studio imbuit, quam violentiae omnis horrore replet. Qui enim tot hominum, ob leuissimas circa res theologicas diffensiones, fratribus suis infensissimorum, eorum perniciem meditantium, durissimeque eos tractantium exempla sedulo perlustrauit,

non

non potest non abhorrere a prauis istorum monstrorum, christiano nomine indignorum, moribus. Quis est qui facrorum bellorum a S. Cyrillo gestorum historiam perlegere possit, nec auersari incipiat hominis contra aduersarios suos nihil non sibi permittentis detestabilem ferociam? Quis est, quin Dionysio alexandrino, Chiliafas in veram viam amice deducenti, similis esse malit, quam Hieronymo, contra Heluidium Iouinianum et Vigilantium inepte atque vehementer decertanti? Digna est Dionysii de controuersia cum Chiliafis agitata narratio, apud Euseb. H. E. Libr. VII. cap. 24. quae ab omnibus legatur. Tam altas dogma illud radices egerat, ut schismata et integrarum ecclesiarum defectiones iam fierent. Dionysius igitur presbyteros caeterosque populi doctores conuocauit, et tres contintos dies impendit excutiendo libello Nepotis, quem isti homines praecipuum atque inuincibile praesidium suae opinionis esse putabant. „Tum vero (ita, ex Valesii interpretatione, pergit Dionysius) fratrum (aduersariorum) constantiam, et ardentissimum cognoscendae veritatis studium et docilitatem atque intelligentiam magnopere sum admiratus. Adeo moderate et ordine interrogaciones rationesque dubitandi et assensiones a nobis siebant. Ac studiose quidem cauebamus, ne ea quae semel nobis placuerint, tametsi falsa esse deprehenderentur, pertinaciter defendemerimus: nec aliorum obiectiones subterfugiebamus. Sed, quoad fieri poterat, ad ea de quibus instituta erat disputatio eniti eaque stabilire conabamur: sin autem rationibus conuicti essemus; non pudebat nos mutare sententiam et

G

alii

50

aliis assentiri. Quin potius cum bona animi conscientia, absque illa simulatione, expansis ad Deum cordibus, quaecunque certissimis argumentis et auctoritate S. Scripturæ confirmata essent, fuscipiebamus. „ Hac ratione efficit Dionysius, ut Coracion, Chiliastrarum antesignanus, publice coram omnibus coniunctum se esse profiteretur, atque polliceretur, se in posterum opinionem illam amplexurum non esse, nec de ea disputaturum. Iam cum Dionysio comparemus Hieronymum. Vigilantius, presbyter, ineptiis sui saeculi nonnullis atque superstitionibus fortiter sese opponebat, atque eos praelertim reprehendebat, qui martyrum reliquias venerarentur ac adorarent, itinera religiosa ad sepulcra eorum fusciperent, cereos in honorem defunctorum in coemeteriis accenderent sole lucente, nocturnas vigilias ad martyrū sepulcra celebrarent solemnes, Sanctos defunctos inuocarent etc. Praeterea monasticam vitam virtutem perabat et errorem eorum masculine impugnabat, qui caelatum coniugio longe anteponendum esse censebant eique vim ad summum sanctitatis gradum homines uehendi tribuebant. In hunc igitur eximum et optime meritum virum, tamquam in pessimum et pestilentissimum haereticum, calumniis atque coniutiis ita debacchatus est Hieronymus, ut hominis, alioquin doctissimi, petulantiam vix mirari fas sit possis. Paucula speciminis loco dabimus. *Hieronymus Ripario*: „De his rebus interrogas, quas et proferre et audire sacrilegium est. Ais Vigilantium, qui  $\kappa\alpha\tau'$   $\alpha\nu\tau\iota\phi\pi\alpha\tau\omega$  hoc vocatur nomine, nam *Dormitantius* recte diceretur, os foetidum rursus aperire et putorem spurcissimum contra marty-

martyrum proferre reliquias, et nos, qui eas suspicimus, appellare cinerarios et idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur. — Haec dicens non se intelligit esse Samaritanum et Iudeum, qui corpora mortuorum pro immundis habent. — Dicam, quod redundet in auctoris caput, et *infanum* cerebrum vel sanet aliquando vel delect, ne tantis sacrilegiis simplicium animae subuertantur. Ergo et Domini corpus in sepulcro positum, immundum fuit? et angeli mortuo cadaueri atque polluto praebebant excubias, vt post multa secula *Dormitantius* somniaret, immo eructaret *immundissimam crapulam*, et cum Juliano persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut in templo conuerteret? Miror sanctum episcopum, in cuius parochia esse presbyter dicitur, acquiescere furori eius, et non virga apostolica *virgaque ferrea constringere vas inutile* — nec meminerit illius dicti: — in matutino *interstiebam* omnes peccatores terrae — O praevidendam linguam a medicis, immo *infanum* curandum *caput*, vt, qui loqui nescit, discat aliquando reticere — *Sacrilegium* tantum patienter audire non possum. Legi enim Syromasten Phinees, et Petri feueritatem, Ananiam et Sapphiram *trucidans* etc. Non est crudelitas pro Deo, sed pietas. Vnde et in lege dicitur: Si frater tuus et amicus et vxor, quae est in sinu tuo, depravare te <sup>\*)</sup> voluerit a veritate, fit manus tua super eos, et effunde sanguinem eorum. — Cum dicis, eum vigilias execrari, facit et hoc contra vocabulum suum, vt velit dormire *Vigilantius* — Dormiat itaque Vigilantius, et ab exterminatore Ae-

G 2

gypti

<sup>\*)</sup> i. e. ad idololatriam seducere. — nullos Hieronymo, si eruditio nem Caeterum noui ego hodienum non excipias, simillimos.

*gypti cum Aegyptiis dormiens suffocetur! „* Per multa his pro-  
fus similia, immo indigniora etiam ac atrociora transcribere  
possemus tam ex libello aduersus Vigilantium hunc, quam  
e polemicis Hieronymi scriptionibus aduersus Heluidium et  
contra Iouinianum. Sed sufficere ista possunt. Talibus igitur  
exemplis, quorum plena est historia ecclesiastica, a simili  
ferocia absterrentur animi, et ut turpissimas has aduer-  
farios opprimendi artes ne cogitare quidem absque honesta  
generosaque indignatione possint, sensim adfuescant; modo is,  
qui ista antiquioris recentiorisque aetatis tragedias  
enarrat, rei indignitatem ipse sentiat eamque coloribus satis  
viuis depingat.

Alia quae hic referenda essent, paucis tantum indig-  
tamus. Primum igitur, teste historia, intelligimus, vehe-  
menter errare eos, qui omnes a doctrina orthodoxa rece-  
dentes leuitatis impietasque accusant, fontesque errorum  
in prauo errantium animo malisque eorum consiliis positos  
esse arbitrantur. Tot tantosque errores in doctrinis gra-  
uissimis admisit Origenes, ut, si hodie viueret, procul du-  
bio heterodoxorum omnium immo haereticorum pestilentissi-  
morum antesignanum nominaturi eum essent vehementio-  
res purioris doctrinae propugnatores. Nam Naturalistis,  
quos vocant, christianis facem, ut supra vidimus, praetulit;  
historiae sacrae veritatem ac certitudinem labefactauit;  
de trinitate, diuinitate Christi, naturarumque in θεω ρωπῳ  
vnione minus recte sensit; animam Iesu Christi diu ante  
incarnationem τῷ λογῷ iunctam fuisse putavit; satisfactio-  
nem

nem Deo pro peccatis nostris a Christo praestitam ignorauit  
 taliaque docuit, quae cum doctrina hac, prout nos recte eam  
 describere solemus, consistere nequeunt; animas humanas  
 ante nativitatem peccasse suisque peccatis ut in corporis  
 ergastulum detruderentur meruisse existimauit, et innumer-  
 a alia protulit longissime a doctrina orthodoxa abhorren-  
 tia. Neque tamen ista omnia malum Origenis animum pro-  
 dunt. Nolumus nostrum de incomparabili hoc viro iudi-  
 cium proferre, ne forte partium studio ducti ita iudicasse  
 videamur; Mosheimum, satis feuerum errorum Origenia-  
 norum censem, testem producere iuuabit. „Omnia sunt,  
 inquit, in Origene, quae homini christiano maxima laudi  
 et ornamento esse possunt: summa erga Deum a teneris  
 pietas, et sanctissimae religionis, quam profitebatur, incre-  
 dibilis amor, incomparabilis laborum et in primis eorum,  
 qui rem christianam iuuare possent, patientia, inexhau-  
 stum boni publici atque finium ciuitatis christianaee profe-  
 renderorum studium, magnus et excelsus animus et supra  
 omnia, quae mortales vel cupiunt vel metuunt, elatus,  
 constantissimus opum, honorum, voluptatum, mortis ip-  
 sius contemtus, purissima in Christum fides, cuius causa  
 senex iam et laboribus malisque varii generis attritus, gra-  
 uissimos cruciatus aequo animo diu sustinebat. — Certe si  
 quis alias, hic homo principe inter sanctos et martyres lo-  
 co collocari, et in exemplum Christianis quotannis propo-  
 ni debebat: nam si Apostolos Iesu Christi eorumque comi-  
 tes tollas, neminem inter omnes, qui sanctorum nomi-  
 ne honorantur et coluntur, noui, qui cum eo de virtutis

G 3

et

45

et sanctimoniae principatu contendere queat." Haec Mos-  
hemius Comm. de reb. Christ. ante Const. M. p. 610. Ama-  
bilis sane hominis perquam heterodoxi imago! Vtinam  
omnes purioris doctrinae defensores optimo huic viro si-  
miles fuissent! Sed ad alios fructus, e rerum christianarum  
historia percipiendos, iam deproperamus. Nemo qui  
cognoscendae ecclesiasticae historiae liberalem impendit ope-  
ram, ad haereseos vocabulum vel haeretici appellationem  
trepidabit, aut sacro quasi horrore contremiscet. Ignorare  
enim non potest, vano istius nominis terriculamento saepe-  
numero abusos olim esse clericos ad stabiliendam suam in  
conscientias hominum tyrannidem, et ad opprimendos om-  
nes qui vel minimam receptarum opinionum particulam no-  
uo ac liberali examini subiicere auderent. Non debet ita-  
que iudicium nostrum, de eo quod verum falsumue sit, cor-  
rumpi aut regi quasi, praecipiti quodam timore, ne forte  
accuratio huius illiusue dogmatis inuestigatio eo nos per-  
ducat, vt iusto propius absimus ab opinionibus hominis cu-  
iusdam, cui haereseos nota, ex decreto concilii alicuius,  
inusta olim fuit. Quomodo enim a studio partium liber esse  
et incorrupte iudicare potest, qui, dum argumenta ab vtra-  
que parte prolata ponderat, metu angitur, ne imprudens  
ac inuitus eo ducatur, quo venire nefas est. Executiendus  
igitur est, ope historiae ecclesiasticae, omnis iste metus.  
Non ideo quidquam a Protestantibus reprobatur, quia haer-  
eticum id esse declararunt conciliorum decreta nimis prae-  
cipitanter plerumque facta, aut patrum ecclesiasticorum iu-  
dicia; sed hanc solam ob causam reiicitur, quia Scripturae

Sacrae

Sacrae repugnans esse intelligitur. Fieri praeterea solet, ut odium quo aduersus haereses et haereticos omnes imbui-  
mur, dignat zelum pro orthodoxae doctrinae puritate, qui  
neutquam est *κατ' ἐπιγνώσιν*, nec ad conuincendos falsarum  
opinionum patronos quidquam iuuat, sed potius errorum  
iustum refutationem aequa impedit ac veri indagationem et  
solidam confirmationem. Pertinere huc, inter alia, vide-  
tur mos, qui mirum in modum olim inualuerat, eos qui a  
doctrina recepta vlla in re dissentirent insigniendi nomine  
haeretici cuiusdam dudum condemnati et omnibus exosi.  
Sic Eutyches, ut supra vidimus, Valentinianus vocabatur  
et Apollinarista; medio autem aevo omnes fere qui Ponti-  
ficum Romanorum tyrannidi subtrahere sese vellent, Ma-  
nichaeorum titulo mactabantur. Nec desunt nostris tempo-  
ribus, qui talia nomina inuidiae, apud plebem certe, plena  
eis imponant, quos a vera doctrina aberrare existimant.  
Desisterent ni fallimur ab ista consuetudine, si, historia ma-  
gistra, didicissent, tum quinam ii sint quos hac in re imi-  
tantur, tum etiam quam inutilis semper fuerit haec errantes  
corrigiendi ratio.

Possent quidem non ea solum quae hactenus velut in  
transuersu leuiter attigimus, vberius illustrari, verum alia  
etiam addi nec leuia nec pauca; inprimis vero demonstrare  
possemus, qua ratione quoque modo tractari debeat historia  
ecclesiastica, ut fructus omnes supra enumerati percipi ex  
eius studio queant: sed quoniam schediasmatis academici  
limites fere transgressi iam sumus, ac ea quae reliqua sunt

H

ex

~~~~~

ex his quae disputauimus colligi facile possunt, finis differ-  
tatiunculae imponendus et ad id deueniendum esse videtur,  
cuius causa isthaec omnia prolusimus. Nimirum sapienter  
a maioribus institutum est, ut quibus Professoris Theologi  
prouincia in alma hac musarum Sede clementissimo SERE-  
NISSIMORVM SAXONIAE DVCVM iussu demandatur,  
sub ipsa munera suscepti auspicia, habita oratione publica,  
animum erga MVNIFICENTISSIMOS Academiae NV-  
TRITORES gratissimum deuotissimumque solemniter de-  
clarent, et pia vota pro celeberrimae huias Reipublicae li-  
teratae perpetua salute nuncupent. Huic instituto laudabi-  
li vt morem gereremus, diem constituimus Iulii VI. quo,  
hora XI. in theologorum auditorio de eximio *historiae ecclesiasticae*  
*in repellendis Naturalistarum, quos vocant, aduersus sanctissimam*  
*Iesu Christi religionem conatibus vnu nonnulla praefati, pietatis*  
*nostrae erga DOMINOS NOSTROS LONGE CLEMEN-*  
*TISSIMOS documenta publice edemus, simulque bonarum*  
*literarum huic Officinae fausta quaeque apprecabimur.*  
Quam solemnitatem vt praesentia sua nobis honorificentis-  
sima atque exoptatissima condecorare et beneuelas nobis  
aures praebere velint, MAGNIFICVM ACADEMIAE PRO-  
RECTORUM, ILLVSTRISSIMVM S. R. I. COMITEM, VENE-  
RANDOS ACADEMIAE PATRES CONSCRIPTOS, DIVINAE  
HUMANAEQVE SAPIENTIAE DOCTORES CELEBERRIMOS,  
VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES MERITISSIMOS,  
GENEROSSISSIMOS denique atque HUMANISSIMOS COMMI-  
LITONES NOSTROS, ea, qua quemque decet, obseruantia  
etiam atque etiam rogamus.


P. P. Domin. IV. post Festum Trinit. MDCCCLXXVI.






J6 3031

(X225.8314)









DE HISTORIAE ECCLESIASTICAE  
NOSTRI SECVLI VSIBVS  
SAPIENTER ACCOMMODATAE  
VTILITATE  
P R A E F A T V S  
A D  
**AVDIENDAM ORATIONEM**  
SVSCEPTI  
IN ACADEMIA IENENSI  
PVBLICI MVNERIS CAVSA  
A. D. IVLII VI.  
RECITANDAM  
INVITAT  
**IOANNES IACOBVS GRIESBACH**  
THEOLOGIAE PROFESSOR ORDINARIUS



TYPIS FICKELSCHERRII.